GENUINUS CHARACTER REVERENDI ADMODUM IN CHRISTO PATRIS D...

Joseph Dominique : d' Inguimbert

Eminentissimo Principi

D. HANNIBALI ALBANO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali,

Et insignis Monasterii Sanctorum Johannis, & Pauli Casæmarii Abbati.

FR. MALACHIAS D'INGUIMBERT
CASÆMARII MONACHUS
Salutem, & Felicitatem.

QUæ tot jam annis in oblivione jacuerat, EMINENTISSIME PRINCEPS, tandem in aspectum se proferre; lu-

lucemque aſpicere cogitur mea hæc lucubratio: ut erumpens è ſolitudinis noſtræ umbraculis, in tuo ſinu foveatur, in tuâ humanitate conquieſcat. Imperia geminaſti, quæ detrectare nec poteram, nec debebam: Cùm probè intelligerem, quidquid damni ex inſcitiâ, vel audaciâ meâ oriri poterat, obtemperationis repentinæ commodis fusè latèque compenſatum iri. Nam ſi me vix tibi de facie notum tot auxiſti honoribus, tot beneficiis cumulatiſſimè affeciſti: quid de te exſpectare non potero, cùm me defraudantem genium meum videris, ut impensè diligenter tibi morem geram? Quamvis quid eſt quod à te expetam, qui ſic prævenisti deſideria mea, nedùm explevisti; ut non reverens aſſentandi ſuſpicionem de te dicere non dubitem:

(a) *Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,*
Nec tenebris damnavit opes: Sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denſos currentia munera nimbos
Cernere ſemper erat, populis undare penates:

aſſi-

(a) Claudius Claudianus in Probini, & Olybrii Conſulatum Panegyr.

Aſſiduos intrare inopes; remeare beatos.
Præceps illa manus Fluvios ſuperabat Iberos
Aurea dona vomens.

Hæc verò mea ſingularis, & eximia felicitas non fuit, Eminentissime Princeps, infinitis à te propemodùm gratiis, & bonis onerari. Nam ex eo tempore, cùm, depoſitâ imperii mole, ad Monaſterium tuum Caſæmarii advolans, in Fratrum noſtrorum familiaritatem te penitùs dedere dignatus es: nullum planè eorum vidi, qui, etiam in domo pacis, ſilentii, & humilitatis, non contenderet, te ipſi ſtudioſiùs, quàm mihi faviſſe. Cùm fluxa, & caduca ut plurimùm eſſent quæ mihi largitus fueras: ea verò quæ pectoribus eorum inſeveras pietatis ſemina ſinè fine manſura, tantùm collatis mihi beneficiis præſtarent, quantùm Spiritalia temporariis antecellunt.

Gloriabantur jam, & triumphabant, Eminentissime Princeps, te nacti patrem amantiſſimum, & generoſum Protectorem. Sed cùm perſpexerunt, te ad

hoc

hoc tantùm præesse, ut prodesses; te (a) *Mercari propriam de re pereunte salutem, Perpetuis mutare caduca, et vendere terram, Cœlum emere*, & disciplinam regularem abstinentiâ tuâ, vigiliis, orationibus,exemplis sancire:tunc te eo amore,& cultu prosequuti sunt,quem ille solus novit, qui dedit tibi talia velle, & perficere pro bonâ voluntate.

Mirentur alii, EMINENTISSIME PRINCEPS, te omne fastigium humanum excedentem Splendidissimâ religione, quâ cunctis ad perfectam cumulatamque virtutem à teneris unguiculis facem præfers. Alii te prædicent non solùm variarum scientiarum præsidiis illustrem:sed etiam virtutum omnium apparatu tantùm aliis superiorem, quantùm natalium Splendore, locive dignitate, & autoritate illis emineas. Dicant te alii ingenio promtissimum, in restaurandis templis Esdræ generosum æmulatorem, magni rectique judicii Virum, omni genere doctrinæ li-

(a) S. Paulinus in Natal. p. Sancti Felicis.

liberaliter eruditum, atque ad maximam probitatem, animique mansuetudinem, utrâque prudentiâ divinâ, & humanâ, ac istâ tam morali, quam civili liberalissimè excultum. Nec tandem desit, qui obstupescat memorans, famæ tuæ integritatem, nè asperrimi quidem censoris aut æmuli dentem vereri. Quod profectò rarissimum in tantâ Claritate, quæ aut invidos invenit, aut facit.

Ego quem à laudandi desiderio revocat Deus ipse asserens, neminem in vitâ suâ laudandum, unam in te Regiam dotem tacitus suspicio, in quâ non tam tu ipse, quàm benefica Dei Optimi Maximi manus, quæ prævenit te in benedictionibus dulcedinis, jure ac merito laudanda est. Eminentissimam humilitatem intelligo, quâ liquidò demonstrasti, rectè à Trajani Laudatore dictum, vitam Principis censuram esse: Cùm eâ potissimùm virtute Urbis, & Orbis censura, stimulus, & exemplum luculentissimum fueris. Quis enim homuncionum audeat

intu-

intumescere, dum te videt in tantâ sublimitate, strenua prementem vestigia Salvatoris, qui, confusione contemptâ, pannis nostræ mortalitatis indutus se omnium pedibus proterendum, & conculcandum exhibere non dubitavit?

Non me latet; EMINENTISSIME PRINCEPS, varios præstantissimæ virtutis pretium extenuare, quod tibi hereditario propè jure contigisse videatur. Nam usque adeò se demississimæ humilitatis amantem exhibuit in supremis dignitatis atque honoris sedibus EXCELLENTISSIMA GENS ALBANORUM, ut multi existimaverint, eam nimiùm se deprimendo, modum excessisse, quem spiritus, & animos sibi sumens facillimè tenere potuisset.

Sed & hoc ipsum exquisitæ laudis argumentum est, quod tuos superare, nedùm æquare studueris in iis, in quibus se se insuperabiles demonstraverant. Insuperabiles dixi. Quem enim hominum vidimus subjectiùs se gerentem, demississimque de se sentientem Excellentissimo

Viro

Viro D. Horatio Albano Genitore amantissimo, de quo à Maximo Principe hæc audivisse me memini: tam ingeniosæ humilitatis Principem D. Horatium Albanum pervideo, ut sæpissimè mihi ex æquo procedere cum ipso volenti, summæque moderationi respondere, in mentem veniat, flexis genibus aut eum alloqui, aut epistolis ejus rescribere.

Verùm, Eminentissime Princeps, si mihi tantillo Fratri altiora me quærere liceret; nec timendum esset, nè scrutator majestatis, à gloriâ opprimerer: qualia moderationis, Clementiæ, & humilitatis prodigia in Sanctissimo D. N. CLEMENTE XI. palàm, & apertè non occurrerent? In rebus toto, quàm latè patet, Orbe celebratissimis versor. Quis enim nesciat, Sanctitati suæ forsàn tantùm Ecclesiam debere, quantùm ipsa Ecclesiæ debeat: eam è virtutibus ita nobilitatem exquirere, ac si nullam hausisset è natalibus: barbaros multis exitiis superbientes, & versipelles hæreticos ad in-

incitas ab eâ redactos, ipſam timere, ſuſpicere, & quod omnium maximum eſt, laudare; eamdem virtutem celebrantes cui ringentes iraſcuntur? Utque immenſa rerum pondera exiguis coarctem anguſtiis, quis neſciat, CLEMENTEM XI. nunquàm deſeruiſſe decoris domûs Dei amorem ardentiſſimum, quem nec pericula retardare, nec aquæ multæ extinguere, nec flumina obruere potuerunt? Et tamen poſt omnia aliquid quærens, quidquid auguſtiſſimis imperiis, iteratiſque legibus extorquere poſſet; id eximiâ ſuavitate, moderatione increbili, nimiâque humilitate conſequi ſtudet.

Sanè quidem, Eminentissime Princeps, maxima exſpectanda erant à Viro Summo, omnium amantiſſimo, præterquàm ſui, eo modo ab hominibus electo, quo nihil hominis in electione fuiſſe probaretur: qui Pontifex creatus, nullum à ſe laborem, vel etiam infimum, excluſit; quaſi ſibi ſupremi moderaminis anguſtiæ, & alteri ſplendor, & decus obtigiſ-

ſent

ſent: qui perſpiciens quàm tenue momentum inter omnia, & nihil, ſummam ſibi deberi dignitatem, quàm reddi maluiſſet. At nullus, licèt perſpicaciſſimus conjector proſpicere potuiſſet, talem tantumque Pontificem, in quo neſcias, quænam virtutes, Præſulis, Principis, aut Pontificis primas habeant, non alios exoptaturum triumphos, quàm quos pariunt manſuetudo, & humilitas ſublimiorum infrequentiſſima: quod eos nullâ oblivione contegendos, nullo nævo obſcurandos arbitraretur.

Hæc nos in ſpem potentiſſimi patrocinii tui adduxerunt, EMINENTISSIME PRINCEPS. Si enim, juxtà S. Patrem Bernardum de Ciſtercienſibus loquentem, Ordo noſter abjectio eſt, humilitas eſt, voluntaria paupertas eſt; te Rancæi geſtis, & alumnorum pauperum, & abjectorum uſibus delectari neceſſe eſt: ad illos, neglectâ eâ in quâ verſaris amplitudine, anxios, & frequentes

b 2 ocu-

oculos convertere, si virtutis avitæ imitatorem assiduum te, quo incœpisti modo, in posterum prodere velis. Hâc præclarissimâ spe sustentatus opusculum hoc meum in perennis obsequii, & grati animi monimentum, tibi porrigendum duxi.

Romæ Calendis Aprilis MDCCXVIII.

IN-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sac. Palatii Apostolici.

T. Archiepiscopus Heracleæ Vicesgerens.

APPROBATIONES.

DE Mandato Reverendissimi Patris Magistri S. P. A. cum summâ animi voluptate, Opus attentè perlegi, cui titulus est, *Genuinus Character Reverendi admodùm in Christo Patris Domni Armandi Johannis Buttilierii Rancæi Abbatis Monasterii B. Mariæ de Trappâ &c. Autore Fratre Domno Malachiâ d' Inguimbert Casamarii Monacho*. In quo nihil quidquam mihi occurrit, quod bonis moribus, aut Catholicæ Fidei sanioribus regulis planè consonum non sit, imò sanioris doctrinæ zelum ubiquè, & summam pietatem, animique candorem præ se fert autor, cujus etiam in dicendo vim uberiorem, & delicatioris eloquentiæ flores passim erumpentes, non semèl sum demiratus. Idcircò utilissimum hoc opus, dignum quod Typis evulgetur, censeo.

Dabam Romæ ipsis Calendis Maji 1718.

Joannes Bouges Lector linguæ Sanctæ in Collegio Urbano de Propagandâ fide.

JUssu Reverendissimi Patris Gregorii Sellari Sacri Apostolici Palatii Magistri, Manuscriptum, cujus titulus --*Genuinus Character R. adm. in Christo Patris Domni Armandi Johannis Buttilierii Rancæi, Abbatis &c.*, attentè legens, nihil uspiam demùm offendi, quod Catholicæ Fidei, bonisve moribus adversetur. Quin & illius Autori, Religiosissimo Doctissimoque Patri *D. Malachiæ d' Inguimbert*, gratulari gestio, quòd Virum Egregium Rancæum, Herculeam certè Clavam, è Jansenianorum rapinis (ne Magno quidem Augustino parcentibus) excusserit justis armis: seu quod spectare illi velint interioris Gratiæ sufficientiam, atque indifferentiæ libertatem, in Rancæi Conversione luculenter ostensam: seu Roma-

mani Pontificis Infallibilitatem (Episcoporum aliorum judicia, seu Magister Discipulorum, & Pastor ovium suarum, & Pater filiorum, eminentissimè continentis, ac pro re natâ prævertentis), ex Rancæi ejusdem theoriâ simul, & praxi constanter assertam. Censeo igitur, Operis hujus editionem Romanam expedire, nedùm permitti tutò posse. Ex Conventu Aracœlitano de Urbe, Calendis Maji, MDCCXVIII.

Fr. Antonius à Mazaria Ord. Minorum S. Theol. Lector Jubilatus, & S. Congr. Indicis Consultor.

Epistola Viri Clarissimi

FRANCISCI MARIÆ GASPARRI

In Archigymnasio Romano utriusque Juris Professoris.

P. MALACHIÆ DE INGUIMBERT FRANCISCUS MARIA GASPARRUS.

S. P.

UNum, & alterum Librum à te elucubratum argumenti non minùs ponderi, quam religioni doctrinæque scribentis ex æquo respondentem, totum, atque ab ovo, ut dicitur, usque ad mala, summâ cum animi voluptate perlegi: nec apicem aut syllabam præterlabi sum passus, quam fidelibus, cæcutientibus licèt oculis, mihi non subjecerim. Enim verò miratus in hoc opere sui vehementer non modò Latini sermonis candorem, & singularem observantiam, quâ meritissimum Religiosæ familiæ, cui magnum nomen dedisti, Reparatorem jure prosequeris; verùm etiam prudentiam in rerum delectu, nervosum scribendi genus adhibitum ad reddendum nobis Rancæum mente, & animo redivivum, summum denique Veritatis studium, quo tantum duceris, vel historicum, vel vindicem agas. Publicæ igitur lucis commodo lucubrationem hanc pulcherrimam, omnibusque numeris absolutam, rogo te, diutiùs carere ne sinas: ratus, non mediocrem ex illa piis viris utilitatem, rei literariæ gloriam, Ordini demùm tuo dignitatis, ac decoris accessionem fore obventuram. Præsertim verò cum hisce ingenii tui monimentis providè consultum esse volueris; illius Prin-ci-

cipis præclarissimo nomini ea inscribens, cui sicut maximo in pretio mihi est, obsequiis licèt impartibus, posse famulari: ita scio, unà tecùm perbeatos socios tuos in Casæmarii Cœnobio Nihilæ solitudinis restitutores, gloriæ loco ducere, quod ejus patrocinium, ac paternam propemodùm sollicitudinem in dies certiorem, validioremque experiantur. Vale &c.

R. P. D. Nivardus Victor del Riccio, in Collegio Trium Fontium de Urbe S. T. Lector videat hoc opus, & referat, si prælo committi possit?

Dat. Romæ ex nostro Hospitio 4. Maji 1718.

D. Paulus Turamini Abbas Trium Fontium, & Procurator Generalis Cisterciensium Tusciæ.

Librum, cui Titulus: *Genuinus Character Reverendi Admodùm in Christo Patris Domni Armandi Johannis Buttilieri Rancæi Abbatis &c. à Reverendo P. D. Malachia D'Inguimbert Soc. Ord. Nostri in Monasterio Casæmarii Monacho*, elaboratum legi, eò magis accuratè, quò jucundè. Quid enim in Religiosissimi Rancæi Vitâ, nisi ad monasticam nostrorum Patrum strictiorem Disciplinam excolendam, per maxima incitamenta? Quidve in desertissimi æquè, ac doctissimi Autoris oratione, nisi pro latino calamo, inter cetera, eandidè, & robustè tractando, Instructio singularis? Mandatis igitur Reverendissimæ P. V. humiliter obsequendo, ut non parvi momenti commoda, ex hoc opere, fidei, bonisque moribus non adversanti, facilè promanantia, nanciscantur universi, publicæ luci exponi posse censeo.

Datum in Collegio nostro Trium Fontium de Urbe hâc die 6. Maji 1718.

D. Nivardus Victor del Riccio S. T. Lector.

Attentâ supradictâ Relatione, quantùm in Nobis est, facultatem facimus.

D. Paulus Turamini Abbas Trium Fontium, & Procurator Generalis Cisterciensium Tusciæ.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CUM me præfandi onere magna ex parte levaverit longè, latèque diffusa fama Viri omni laude majoris ARMANDI JOHANNIS BUTTILIERII RANCÆI; operæ pretium facturum me duco, si ab inanibus abstinens, paucis mentis meæ statim fassus fuerim arcanum, aperto, simplicique pectore ea proferendo, quæ me impulerunt ad id, quod titulus pollicetur, aggrediendum. Ex quo Rancæi ingenium, mores, & egregia novi facinora, vehementèr dolui vicem non Viri, quem in Cœlum merita vocavisse confidimus: sed eorum, qui aut præjudiciis implicati, aut falsis delationibus delusi, seù tandem Rancæi rerum penitùs inscii, non rectam, nullamve animi ejus, & vitæ tenoris opinionem habent.

Huic incommodo probè consultum iri putabam, si qualis ipse fuerit, talis sinè fuco omnibus exhiberetur. Sed cùm neminem ad id præstandum repererim accinctum; ego, quem Rancæus habet sibi pauperimum quidem, sed gratum debitorem, unicam hanc occasionem nomina expediendi libenter arripui. Rancæum itaque, & mores ejus, quantùm in me erit, effingam. Nec ad id assequendum, falcem, ut ajunt, in messem alienam immittam, vitam ejus accurate conscribendo. Ea tantum arbitror proferenda, quæ mentis, & virtutum effigiem repræsentent. Hinc duobus libris brevissimis opusculum ab-

absolvetur; in quibus Rancæum Mundi illecebris irretitum, deinde corpus, animamque Deo Religiosissimè addicentem, & ad eum in funiculis Adam, in vinculis charitatis varios allicientem describere conabor. In primo, narrationis legibus alligabitur Oratio: in alio vero, suppositâ notitiâ, quam vel inde rerum Rancæi insolentes, vel ex Scriptoribus vitæ ejus scientes habere possunt, paulò liberior excurret, iis contenta, quæ ad propositum obtinendum aliquantò conferre videbuntur.

Mirabitur sane omnis eruditorum natio, me per quàm difficilem provinciam cepisse, postquam Scriptores disertissimi in Rancæi factis diligenter enarrandis egregiam, strenuamque navarunt operam: dùm mihi Scholarum stadium decurrenti, musisque colenti severiores disertum esse non licet. Verùm id animos mihi adjicit, quo minuendos posset aliquis existimare. Jure quippe illum celebrandum suscipio, cujus de laude talium, tantorumque virorum sit fama consentiens. Nec me de sententia dimovet jejunior, ut sic mihi familiaris nimiùm est Oratio. Quid enim refert, si Scriptor inconditus sit, cùm sic loquitur, ut res possit intelligi? Dum præsertim ea est illius natura, ut ornari neget, contenta demonstrari. Quærant alii Sermonis elegantiam, & leporem; mihi satis, superque erit, si dum alii elegantissimos, ego Sermones apertos habuero: quo finem suscepti operis faciliori negotio consequi valeam.

Propositum quippè mihi est, ut perspicuitate brevitati conciliata, nulli sit causa exprobandi, me rebut splendidissimis, aut offudisse tenebras, aut pauca in multa diffudisse. Nam mihi consilium benè processerit, penès alios sit judicium. Ingenue profiteor, me excelsa mihi non vindi-

c ca-

care: nec mihi operam, & oleum periturum, dummodo terræ coharentia supergrediar. Si non laudem, saltem veniam merebitur, qui optima voluisset. Mens enim boni studii, ac pii voti (quod Salvianus ait) etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.

Spero autem, fore ut mihi crimini tribuendum non sit, quod nomina non protulerim Autorum, è quorum operibus aliquid ad firmandum, aut ad ornandum meum opus excerpsi. Verùm enim verò nunquam mihi placuere libri, quorum margines tantis, & tam confusis vocibus maculantur, ut Lectoris mentem, & oculos fatigent. Libenter satiùs assentior Photio, dum, ut retundat superbiam Cephaleonis Grammatici eruditionis ineptè ostentatoris ambitiosi, asserit, animi nondùm prorsùs inanem, puerilemque gloriam repudiantis, magnum satis argumentum esse, è quot quantisque scriptoribus historia collecta sit, jactare.

Minime verò Lectori spondeo, me omnia, quæ ad Rancæi notitiam pertinent, singillatim explicaturum. Qui enim fieri potest, ut in tot rebus notatu dignis, aliqua oculorum, animique aciem non fugerit? Si cuiquam videbor in re quadam expromenda diffusior, in aliis parcior, & restrictior; velim, is meminerit, sata non in omni solo eadem felicitate provenire: nec quævis grana Coloni curam, industriamque ex æquo promereri. Etiam ex his, in quibus colligendis maximam adhibet messor sollicitudinem, spicas aliquot, vel manum prensantis, vel demetentis falcem effugere necesse est. Sic ferente cujuscumque messis conditione, ut semper pars aliqua supersit ad spicilegium. Persuasissimum cuique sit, me, partium studio, nihil immutasse, aut silentio præteriisse. Omnes mihi notas veritates pro-

proponam: eas in primis, quæ Rancæi Alumnorum, aut familiarium testimoniis fulciuntur. Nec dissimulabo ea, quæ ipsi error, aut livor acerbissimus affinxerunt. Ut omnes intelligant, peritiam, & diligentiam meam fortè requiri posse; fidem verò, amoremque veritatis nullum plane bominum desideraturum. Porrò in ipso statim vestibulo veniam mihi dari mea poscit Oratio; quippe qui sincerè fatear, majus esse meis viribus opus hoc, quod pollicitus sum, integrum, atque omni ex parte perfectum exhibere. Hanc peto veniam, ut quidquid minùs dixero; minùs enim dicam necesse est: ignorantiæ meæ potiùs adscribatur, quàm aliquid Rancæus de existimatione deperdat. Sed quò citiùs hoc, quod suscepi, non sinè metu, ac pudore quodam, obsequentis voluntatis opere perfuncturus, non mediocre negotium conficere possim: omissa uberiori, aut ignorationis meæ, aut temeritatis, aut etiam utriusque deprecatione, ingrediar dicere de Viro Maximo, cujus honori destinatum opusculum, professione pietatis, aut laudabitur, aut saltem excusabitur.

 CON-

CONTESTATA AUTORIS DENUNCIATIO.

CUm Autor Ecclesiæ menti, Summorumque Pontificum imperiis obedientissimum se profiteatur, omnibus denunciat, ea, quæ gradum Sanctitatis, vel eximiam cumulatamque virtutem Rancæo tribuere in hoc opusculo videntur, modo planè historico, & humano accipienda esse: usquedùm in accuratissimâ Romanæ Sedis trutinâ suspendantur, & castigentur. Libentissimè siquidem morem in cunctis gerit decreto Sacræ Congregationis Generalis Sancti Officii dato die 5. Martii an. 1623. Jussu Sanctissimi Domini Nostri Urbani Divinâ providentiâ Papæ Octavi. Quod quidem approbatum, & confirmatum est die 5. Julii an. 1624. Itidem autor se, suaque, eâ quâ par est pietate, & reverentiâ, Supremæ potestati Romanæ Sedis, & irreformabili Judicio subjicit.

IN-

INDEX CAPITUM,

Quæ in utroque hujus Operis libro continentur.

LIBER PRIMUS.


Ca-

Finis Libri Primi.

LI-

LIBER SECUNDUS.

LAUS DEO.



GENUINUS CHARACTER
Reverendi admodum in Christo Patris

DOMNI ARMANDI JO: BUTTILIERII RANCÆI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Splendidissima, & auspicatissima Rancæi rerum primordia.

DEus optimus, maximus, magnificus in sanctitate, & mirabilia faciens, infirma frequenter eligit, ut fortia quæque confundat, & ut deprimat superba, dum humilibus exaltatis, se se magnificantes super terram ad ima dejicit, deturbat è sede, temporisque momento præcipitat. Verumtamen non semper aspernatur singularia illorum officia, quos maximis fortunis

 orna-

ornatos, & generoforum natalium splendore commendabiles esse voluit. Amos inter armenta educatus dirigitur ad annuntiandam Israëlitico Populo Omnipotentis voluntatem: sed Isaiæ clarissimum à Regibus genus ducenti, honos idem non denegatur. Summa sanè sunt, & pari admiratione digna, quæ ubique gentium sive in maximis, sive in minimis prodit Deus supremæ potestatis argumenta. Sicubi verò præpotentis Numinis miracula discrepare videantur; in causâ sunt varia, quæ superat impedimenta, quorum nullum ejus efficaci virtuti resistit. Unicuique autem compertum est, majora ea esse in illis, quibus Mundus servit, quique Mundo serviunt, nescientes, aut scire nolentes ipsum mentiri, ut fallat; blandiri, ut noceat; bonum promittere, ut malum inferat; vitam, ut perimat, polliceri. Quibus ergo credendum est benedictionibus dulcedinis, & virtutis fuisse præventum Virum, cujus mentem, virtutes, & gesta quædam universo, quàm latè patet, Orbi admiranda proponere aggredior! Tot, ac tanta exhibuit consummatissimæ pœnitentiæ, Mundique contemtus documenta; ut rectè quisque percipiat, eximio simul, ac benefico Dei munere blandis voluptatis illecebris, cupiditatibus, optimo generi, sibique Rancæum abstractum, summos virtutum gloriæ, & sapientiæ gradus consecutum fuisse, quos multi mirentur, pauci admodum, non dicam assequi, sed quanti fuerint perspicere possint.

Natalem Armandi Jo: Buttilieri Rancæi diem nonam Januarii anni à reparatâ salute millesimi sexcentesimi vigesimi septimi nobilitavit Regius Purpuratus Johannes Armandus Du Plessis de Richelieu, qui infantem puerum ortu Parisiensem paulò post de sacro fonte Lutetiæ suscepit, illumque proprio prænomine augere dignatus est.

Nostri

Nostri non est instituti, nec operis accuratiùs expendere ornamenta omnia honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, quæ nobilissima Buttiliericrum familia adepta erat, dum in ea Armandus Johannes natus est. Solis quippe ethnicis talia suspicere licet, qui eo in errore versantur, ut immortalium Deorum munus, & primum credant, & maximum, in lucem statim, felicem, nobilemque venire. Nobis verò sine piaculo non licet, quibus persuasum est, veram nobilitatem, à nativis, ascitisque virtutibus originem ducere. Dixisse sufficiat, Armandum Johannem non solùm multas, nobilesque familias paternâ, & maternâ nobilitate fuisse complexum; sed etiam Buttilierios summis, variisque florentissimi Galliarum Regni amplificatos honoribus, dum ipse lucem aspexit. Ut constet, præsentem felicitatem illi vix nato arrisisse, sed renato non irrisisse. Quod veræ magnitudinis indicium esse Bernardus olim existimavit. Forma eximia, oris dignitas hilaris, concinna membrorum omnium conformatio conjuncta cum suavitate morum admirabili, affabilitate incredibili, & propensione ad omnes demerendos, cuicumque Rancæam domum colenti, summum aliquid de puero portenderunt. Vidisses infantem balbutientem, juvenilique decore splendidum, nugas spernentem pueriles, sagacique parentum curæ sic respondentem, ut nullum planè ætatis tenerrimæ impedimentum subierit. Ut vultûs lineamenta formabantur, ita crescens frontis gravitas, majestas oris, fulgor, vigor, ac lumen oculorum summam vim ad aspicientium benevolentiam captandam Armando Johanni tribuebant; omnesque in illius ducebant obsequium. Indè tamen nullum inanis gloriolæ fumum (quæ rarissima pueri moderatio est) sibi colligebat. Pudor, modestia, præstantissima

indoles, externa qualibet in eo commendabant. Ita temperatis, moderatisque moribus erat, ut nihil in eo elucceret, quod summâ cum humanitate non sociaretur.

Dionysius Butillierius Rancæus vir spectatæ probitatis Armandi Johannis Pater amantissimus, præclaris ingenii, & naturæ illius dotibus inspectis toto pectore se ad eas excolendas convertit. Cumque, ut erat experientissimus, apprimè sciret disciplinam, & educationem viros efficere præstantiores; in id præsertim animum intendit, ut conquisitis undecumque luculentis virtutis, & doctrinæ magistris, Armando Johanni nihil penitùs deesset, eorum, quæ juvenem christianum, nobilem, ingenuumque commendant. Nec teneri potuit, quin mortuo fratre ejus natu majore, ipsum Melitensi Religioni destinatum, inter Parisienses Ecclesiasticos cooptandum curaret. Quod quidem æternâ constitutione dispositum crediderim, ut nobilis puer, cujus vita Ecclesiasticorum hominum, & Religiosorum censura futura erat, stimulus, & exemplum, Ecclesiæ æquè ac Religionis officia à teneris unguiculis perfectè cognosceret. Quàm generosa fuerint semina pietatis, & prudentiæ Divinæ, & humanæ, quæ menti ejus sunt indita, uberrimi, in quos adoleverunt, fructus ostendunt.

CAPUT SECUNDUM.

Singulares Rancæi in studiis progressus. Mors Cardinalis Johannis Armandi Du Plessis de Richelieu, & Rancæi Parentum.

NUllâ re magis homines ad proficiendum excitantur, quàm bonorum, & eruditorum commercio. Rancæum universis fortunæ, & naturæ muneribus egregiè instru-

ſtructum, exquiſiti ingenuarum artium magiſtri iis inſtituendum ſuſcepêre. Vix, ac nè vix quidem paucis expedire poſſum; quanta, & quàm prompta fuerit liberalis educationis efficacia in juvene, qui nactus fuerat ingenium ad ſcientias, & ad varias linguas perdiſcendas aptiſſimum. Stupuêre Præceptores cognitâ mente, eâ in litteris avidè arripiendis celeritate abreptâ, quam implicatiſſimæ difficultates nunquam remorarentur.

Decem annos natus præcipuarum ex liberalibus artibus ſciens erat, linguamque Græcam ſic callebat, ut nihil ſit in Poëtis Græcis, maximè in libris Homeri, illorum facilè principis, quod mentis ejus aciem effugeret. Præter alios, qui hujus rei fecerunt periculum, teſtis unus eſt luculentus vir non vulgari laude dignus Pater Cauſſinus è Societate JESU, quem ſibi conſiliorum ſocium, ac confortem, & conſcientiæ arbitrum ſapienter Ludovicus XIII. Rex Chriſtianiſſimus, ac juſtiſſimus elegerat.

Ille, qui nihil habebat antiquius, quàm ut nobiles, & Eccleſiaſtici decore, gloriâ, & doctrina inſtructi eſſent, grato excepit animo, quæ ad ipſum publica fama detulit de præcoci Rancæi junioris ingenio, quod variarum artium cumulus illuſtrabat. Sed fidem adhibendam non duxit narrantibus, Rancæum ceteris animi ornamentis, linguæ Græcæ peritiam adjeciſſe. Ea pro ſomniantium viſis, aut pro paradoxis habuit, nunciata de puellulo nondum ephebios annos attingente. Cumque in mentem non poſſet inducere talia ſinceræ veritati tribuenda, potiùs quàm optimæ, & honorificæ opinioni, quæ animum omnium occupabat; raram Rancæi doctrinam accuratè voluit explorare. officiosè itaque ipſum Rancæus adiit. Vir emunctæ naris Cauſſinus obſervatâ indole in fronte pueri eminente,

nente, & quibusdam ab eo extemporalibus responsis elicitus, libenter incredibilia de eo credidit.

Ut tamen audita, & perspecta Regi, & Aulicis nunciare posset; Homeri libros ei tradens explicandos, carmina elegit, quorum sensum intercisum deprehenderat, & vix connectendum. Elegantissimum tamen ex iis sensum hausit Rancæus & gratum nitorem, summamque connexionem divisis, & obscuris versibus conciliavit: Ita ut peritissimorum Interpretum sententias menti commisisse videretur. Ad prodigium certè res accedebat. Vix oculis, vix auribus credebat Caussinus, illa ipsa in puellulo reperiens, quæ sæpissimè in peritissimis Magistris desiderantur. Nullum enim eruditorum fugit, quantùm laboris insumendum sit in Græci sermonis elegantiâ, & argutiis penetrandis. Advertens Caussinus, Latinam interpretationem Græcis Homeri carminibus suppositam; perfectam, quamvis extemporalem conversionem è Græco à Rancæo factam, subsidio indè mutuato tribuendam arbitratus est. Pueri ergo manicâ latinâ versione contectâ, libri foliis volutatis, ut inverteretur ordo, implexissimum illi nodum, proposuit, quem pari facilitate dissolvit. Tunc erupit plausus admiratione compressus. Siquidem Caussinus manicâ coopertam libri interpretationem inspiciens non solùm hæc in Rancæi aurem insusurravit, sed contentâ, & erectâ voce protulit: *Lynceos habes oculos, animumque perspicaciorem*.

Omnem postea mentem, omnes cogitationes, & curas ad ornandum Rancæum contulit, quem Ecclesiæ, & Regni decus, & ornamentum futurum esse prævidebat. Insolitâ animi contentione, assiduâque constantiâ sic profecit Rancæus, in rerum utilium investigatione tempus illud

lud impendens, quod ejusdem ætatis pueri maximas nugas agendo terunt, ut in quarto versans ætatis triennio, autor plenus, & perfectus apud omnes audierit. Hanc illi famam fecit absolutissima editio Poëseon Anacreontis. Illas notis illustravit, quas stupentes seniores primatu libentissimè sibi vindicassent, nulla in eis ætatis tenerrimæ indicia deprehendentes. Editus est hic liber chartis bessalibus Lutetiæ Parisiorum anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono. Typis aliquanto post consignavit operum ejusdem Poëtæ egregiam è Græco in Latinum, & Gallicum conversionem, quæ summopere probata fuit viris eruditis, qui Linguæ Gallicæ expoliendæ tunc temporis incumbebant. Hinc factum est, ut Rancæus tantum patrii sermonis elegantiâ, quantum Græcæ, & Latinæ linguæ usu, & intelligentiâ, commendaretur. De laudatis, ceterisque Rancæi operibus hæc scripsit Vir Orbi literario cognitus Menagius: *Lectio operum Domini Abbatis Rancæi me semper ad admirationem traducit. Inter Regni Autores primas in scribendo tenet. Ejus scribendi ratio nobilis est, sublimis, & extra imitationem posita.* Decimum & tertium ætatis annum attingens, multorum dierum opus, & magnum Rancæus conatus est. De Divinâ animæ rationalis præstantiâ explicandâ, omnibus antiquorum de eâ Philosophorum opinionibus, magnisque, in quibus fuerant, erroribus refellendis toto animo cogitavit. Deo ingenium ipsi aspirante, tam feliciter propositum brevi est assecutus, ut dum studio, & usu perfectam, & altissimam illam eruditionem obtinuit, quæ doctos gravi stupore afficit; nunquam primo labori aliquid adjungere potuerit. Inter inedita Rancæi opera in Bibliothecâ Trappensi asservatur limatum opus, quod Rancæi dignum nomine jam emi-

emisissent celebris Abbatiæ Monachi, nisi modestiæ Patris imitatores, & heredes, laudem humanam ad fructum eorum redundaturam humiliter neglexissent. Primum autem fetum nuncupavit Johanni Armando Cardinali Du Plessis de Richelieu, quem de sacro fonte illum sumsisse diximus. Armandus Cardinalis sibi & Regno consulens essusis sibi beneficiis devinciebat quoscumque vidisset, sibi obsequium, Reipublicæ subsidium delaturos. Mirum itaque nemini videri debet, si Rancæo sibi addictissimo, quem ad maxima natum noverat, munera cumulatissimè largiri meditaretur. Cum illo sæpe familiaris, relictâ Imperii mole, colloquia miscebat. Nec ullos ad primarias dignitates ipsi præclusos aditus ostendebat.

Eximia amoris argumenta Rancæus mutuis est amplexus officiis; à quibus exhibendis amantissimo Mecœnati nec spe, nec metu potuit dimoveri. Grati ejus animi firmitudo rerum fuit dissidiis, quæ Reginam Mariam Mediceam à Cardinali eo abalienarunt modo, quem nullus ignorat. Nihil erat, quod Rancæo non suggereret, tempori serviendum esse, nec pro ambiguis Cardinalis pollicitationibus certa linquenda præsidia Reginæ, quæ præcipuos inter Regiæ domûs Ministros Dionysium Rancæum patrem allegerat. Nisi fortè indè summa importari sibi vellet detrimenta, unde maxima commoda percepturus erat. Tantatamen Rancæo voluntas fuit gratiæ referendæ Armando Cardinali, ut nec periculi tempestare, neque honoris aurâ, nec minis propositis unquam nutaverit. Hinc solitum studium, & honorem Cardinali, licèt secretiùs deferre sibi potiùs, quàm debitis officiis deesse volens.

Supremum eo tempore diem obiit Cardinalis. Rancæus, cujus non erat nomen Domini spes unica, sed re-

spiciebat ad vanitates, & insanias falsas, in hoc clarissimo imbecillitatis humanæ documento nihil inspexit præter allatam terrenis commodis perturbationem. Ex amara Mecœnatis morte dulces vitæ fructus colligere non poterat. Cùm tanti non essent ejus in viâ vitæ progressus, ut scire posset, electis suis Dominum iter hujus mundi facere asperum, nè dum quis oblectatur in viâ, obliviscatur, quod desiderabat in patriâ. Johanni Armando Cardinali de Richelieu animam exuenti præiverat Armandi Rancæi mater Carola Joly; cui Dionysius Rancæus conjux charissimus non multum superfuit. Tangentes vitæ metam parentes Rancæi hanc illi mentem injecêre, ut omni terrenorum curâ posthabitâ, solis cœlestibus inhiaret.

Ultima labentis vitæ momenta Dionysius Rancæus celeriùs accito filio destinavit. Totusque fuit in mundi præstigiis, quibus illigabatur, depellendis. Mundum demonstravit, ex fallaciis totum constare. In eo viscata esse omnia, omnia lubrica, omnia tenebris operta, & obsessa laqueis, omnia vanitatem, & afflictionem spiritûs. Justè illum pelago comparari; quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur. Homines ipsi mancipatos ad illecebras delictorum vergi, niti mendaciis, pascere ventos: in morte ad inferna descendere. Hîc carnem eorum vermibus, & illic animam ignibus deputari; donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis ignibus involvantur. Ut qui socii fuerunt in vitiis, socii sint in pœnis; & una pœna illos implicet, quos unus amor in crimine ligavit. Verùm decus positum asseruit in virtute, cui nunquam potest non esse locus. Serò tandem illum monuit, ut Regi, quæ Regis erant, redderet; & quæ sunt Dei, Deo. Ad quæ præstan-

da idoneus non erat futurus, nisi peccato immunis, justitiæ, sapientiæ, & veritati servire cœpisset.

Magnifica verba prope admota mors excusserat: nec nisi humiles, & sanctas, aut Sanctis digna voces ministrabat viro nobili, quem ex Aulico Theologum effecerat. In animum Armandi Johannis altiùs insculpta esse Patris morientis verba, ex eo arguere licet, quod nunquam è memoriâ fuerint elapsa, & continuò delictorum conscientiâ graviter animam vellicante, ea memoraverit.

CAPUT TERTIUM.

Ecclesiastici Rancæi proventus. Singularis dicendi facultas. Studia Philosophica profanis, & manibus Astrologiæ figmentis maculat. Studiis castissimæ Theologiæ dat operam.

CVm Dionysius Rancæus secundum duntaxat inter fratres locum obtinuisset, nominis amplitudine, magis quàm divitiarum affluentiâ commendabatur. Iniquæ fortunæ injurias, & damna resarcire studuerat, Ecclesiasticos proventus in domum inducendo. Quod ut faciliùs fieri posset, mortuo majori natu filiorum, Armandum Johannem è militari conditione ad Ecclesiasticum institutum impulerat. Detestabilis hujus facinoris, licèt illi grave pondus pravæ consuetudinis tyrannis addidisset, nullus dubito quin pœnituerit illum, dum morti proximus, terrenis solutus impedimentis, intellexit, quàm damnandus sit, non usus, sed abusus, quo præeunte, parentes Divina sibi jura vocationum arrogant. Quod re vera sæpe sæpius mortalis iniquitas operatur, ut ea, quæ Divinis fuerant consecrata, in alios usus convertantur. Filiis ad sacra de-

stina-

ſtinatis, ut beneficiis fidelium largitionibus, dives aliunde familia ad luxuriandum uti queat. Sive etiam, ut hoc pacto provideatur omnibus, quæ ad vitam filiorum tuendam, ac ſuſtentandam neceſſaria putantur: illatis Eccleſiæ incommodis, ut amoris officia filiis exhibeantur. Quo fit, ut ſi tam peſtilens eſt amor, ac tam nocens; nec amare expediat, nec amari: quia nec parentes amorem debent appetere ſibi noxium, nec deſiderare filii parentibus obſuturum. Ut ut hæc ſunt; certiſſimum eſt, Rancæum ſex millium argenteorum nummorum annuos reditus, quando Pater mortuus eſt, è beneficiis percepiſſe. Cùm tamen ex Altario vivens, nullatenus Altari deſervire potuiſſet.

Cùm non Theologi partes agam, meum non eſt vocem efferre in abuſum, qui eò luctuoſior eſt, quò frequentior. Quò enim major eſt peccantium turba, eo gravior eſt Divinitatis injuria. Animum, amiſſis Cardinali, & Parentibus, Rancæus non ſolùm non abjecit, ſed illum ſupra fortunam gerens, importata ſibi damna labore, & induſtriâ cenſuit reparanda. Eas facultates, quæ linguam, expoliunt, cum eloquentiæ ſtudio ſociavit. In quo tantum brevi profecit, ut variis concionibus, Oratoris abſolutiſſimi nomen ſibi pepererit. Dominus Deſyveteaux Regis Chriſtianiſſimi Præceptor, Rancæi dotum, & verborum illecebris motus, variis ipſum beneficiis cumulavit. Id ægrè ferentibus conſanguineis ſatisfecit ſenex prudentiſſimus, aſſerendo ſe potiùs juſtitiæ tributum, quàm voluntatis argumentum Rancæo porrexiſſe. Cùm videret, nihil officioſius fieri poſſe in gratiam junioris ingenii, qui vix adoleſcentiæ primos annos ingrediens, tam egregiam ſpem ingenii, atque animi dotum concitabat, ut non haberet ambiguum, quin inter eruditos, & pios principem locum

habiturus esset. Viri de Orbe Literario optimè meriti adæquavit prædictionem, eùm superare non potuerit eventus.

Nihil gratius accidere potest homini erudito, & ingenuo, quàm arcana Philosophiæ deregere, præcepta investigare: unde Raocæo, cui nihil ab humaniorum literarum magistris addiscendum supererat, Philosophia obversabatur. Quare nunquam per illum quieti fuêre magistri, usque dum in Celeberrimo Harcuriano Collegio ipsum collocarent. Ibi eum exitum habuêre studia Philosophica, quem peracutum, & excellens ingenium Rancæi promiserat.

Sed cùm plures etiam res magnas eodem simul tempore, non cogitare solùm, sed & agere solitus esset; insano, atque inepro ausu, ultra rerum Philosophicarum terminos evagans, altiora se quærere non dubitavit. Astrorum scientiæ, ut vocant, quâ ex inspectione siderum futuros eventus se prædicere veteratores mentiuntur, audaci curiositate toto pectore incubuit. Cùm tamen Spiritus Sanctus declaraverit, homini necessarium non esse, ea quæ absfcondita sunt, videre: & impossibilem rerum superiorum investigationem demonstraverit Augustinus ex difficultaribus, quæ in explicandis inferioribus exsorbendæ nobis occurrunt. Rancæum difficultas ad inquisitionem accendit. Aquas furtivas dulcissimas credidit. Nec doctâ contentus fuit ignorantiâ Sapientum, quibus satius est, quædam nescire, quàm scire. Quinimmo appetitum compescere nolens, ut rationi morem gereret, nullum obscuriora perscrutandi modum sibi præfixit adolescens rerum insuetarum cupidus. Eamque partem fugacis vitæ nævus puerorum imperitus est, quam Divinis studiis ademit, quibus illum CHRISTI Religio consecraverat. Stultum tandem

dem esse advertit, difficiles habere nugas: unde relictis inanibus curis, quibus distringebatur, totum se convertit ad studium veritatis, cui cognoscendæ, & colendæ se factum noverat. Quâ in re Rancæum Augustino feliciorem fuisse perspicuum est. Cùm Doctorum Aquila testetur, se Astrologiæ deditum, non nisi à sene medicinæ, & rerum perito revocatum. Quod quidem Rancæo sine alterius hominis ope contigit.

Tempus ergo Theologicis studiis impendit, in quibus reperiuntur scientia Dei, cœlestium rerum cognitio, humanarum verò prudentia, & usus, & ea omnia, quæ in Ecclesiastico viro sunt requirenda. Theologiæ Scholasticæ necessitatem (ut erat perspicacioris ingenii) statim perfectè cognovit. Intellexit, pressiori scholarum methodo lucem à tenebris, verum à falso distingui: hæreticorum mendacia multis præstigiis, & fallaciis involuta, tanquam veste detractâ patefieri, ac nudari: & connexas fuisse semper, post natam scholam, scholæ contemtionem, & hæresum pestem. Non tamen Scripturæ Sacræ, Conciliorum, Historiæ Ecclesiasticæ, & Juris utriusque studia neglexit: sciens, horum omnium cognitionem magnos fructus parere, & ignorationem, in gravissimos errores deducere. Cùm enim eruditione splendidâ viam sibi ad supremas Ecclesiæ dignitates sternere vellet; ab illis se remotissimum demonstravit, qui vana sectantes, non utilia, & dulcia; aptiora Theologo arbitrantur argumenta, quæ ex ratione, quàm ea, quæ ex autoritate ducuntur.

In variis conclusionibus publicis, quarum duas Reginæ nuncupavit, & in pluribus circulis testatus est, se minimè assentiri his, qui ex circulorum Scholasticorum disputationibus ortam esse volunt pertinaciam, & irritatio-

nem

nem omnia fcalpendi. Quin iftiufmodi malorum exiftimavit, in moribus effe culpam, non in fcholâ. Moderati enim nec contentiofi homines, nec pertinaces (quod Vir difertiffimus ait) quafcumque res fobriè, ad temperantiamque definient. Quod, cum omnibus faciendum eft, qui difciplinam quamlibet profitentur; tum nemini potiùs quàm Theologo. Fuêre autem fine dubio multi, qui vitiis declinatis, rem Theologicam graviter fanè, ac modeftè tractarunt. Nam quos ifti pertinaces vocant, omniaque fcalpentes Theologos; paucos, fi verè loqui volunt, fignificare poffunt. Sed propter paucorum vitia, non eft omnium corona traducenda. Quod etfi plerique Theologi in his vitiis effent, iniqua effet adhuc calumnia. Quemadmodum enim nemo juftus, & prudens univerfos adolefcentes accufat, quamvis plurimùm fint libidinofi; quoniam libido non eft omnium adolefcentum, fed non proborum. Sic quoniam ifta fcholaftica pertinacia, Theologorum levium eft, non omnium, iniquè profectò fchola traducitur propter ea vitia, quæ non funt fcholæ; fed inertis, vanæ, contentiofæ fcholæ.

CAPUT QUARTUM.

Mundi procellis fe Rancæus committit. Licentioris vitæ implicatur oblectamentis. Initiatur Sacerdotio. In Parifienfium Doctorum ordinem cooptatur. Oblatum recufat Epifcopatum.

OMnes effusâ, & immoderatâ licentiâ deteriores fieri, multis liquet experimentis. Sibi ipfi Rancæus mortuis parentibus, relictus id infeliciffimè cognovit. Eam quippe libertatem obtinuit, quam S. Bernardus omni fcr-

servitute serviliorem appellat; cùm ipsum pessimæ mundi addixerit servituti. Parentum, & Præceptorum curâ vigili simul & importunâ solutus mundi, & fortunæ munera diligenter cœpit conquirere. Totum se voluptati, & cupiditatibus mancipavit, quibus se vix dimidium antea permiserat. Quamvis maximâ de Rancæo absente credidissent Aulici, vix tamen æquavêre illa, quæ in ipso præsente probata sunt. Florenti tunc erat ætate, eleganti, concinnâque corporis staturâ, ardentibus oculis; totque in venustissimo illius vultu indicia optimæ indolis emicabant, ut mixta decori comis majestas omnium oculos, venerationem, & studia raperet. In ejus amore suavissimè acquiescebant omnes, qui limatam urbanitatem, magnum in jocando leporem noverant. Tam scitè in communi societate jucundus erat, ut cuncta, dum aberat, undequaque frigere colloquia viderentur. Nemo illo facetiis, nemo sale, nemo suavitate conditior. Quotquot Rancæo familiariter uti poterant, mirabantur præcipuè elucentem in eo animi candorem, quem Aulæ infrequentissimum, & eâ de causâ ibi majori admiratione dignum nemo nescit. Animam bonam, cor rectum, simplex, purum, sincerum ab omni invidentia, & simulatione abhorrens sortitus erat. Amicitias non propter eas, quas habent, opportunitates, sed ad exercitium beneficentiæ colebat. Unde nec ambitiosæ erant, nec fucosæ. Tantâ generositate præditus erat, ut pro amicis, in odium, offensionemque incurrere eorum, qui supremâ florebant autoritate, & mortem etiam oppetere non dubitaverit. Etiamsi multas amicitias junxerit, nullam unquam visus est discidisse. Nec ullus unquam ab illius amicitia se removit. Honestis rationibus commoda quærebat; turpibus, nè salutem quidem quæ-

sisset.

fuiffet. Urbanitatis, lautitiæ, venuftatis, elegantiæ etiam atque etiam cultor accuratus, facilitatem tamen, pudorem, liberalitatem, dignitatem, exiftimationem, modum retinebat. Sed jam me plufquam fatis Rancæi laudes detinuêre. Tempus eft ut in memoriam redeam Hiftoriæ legum, quas non minùs perfringit, qui aliquid veri dicere non audeat; quàm qui aliquid falfi dicere audeat. Fidei enim & veritati, non oftentationi hiftoria componenda eft. Ut ergo leges eas obfervem, diffimulare non debeo, quod leviter & ftrictim initio capitis attigeram: virtutum nimirum, quibus politus erat Rancæus, fplendorem quædam obfcurafse. Bona præfentia in mala futura convertit: & quæ à Deo illi data fuerant ad hoc ut ex eis pararetur beatitudo perpetua; per hæc ipfa, proh dolor! vifus eft damnationem quærere fempiternam. Laudi mundanæ, ut arbitrabatur, natus, illis qui in mundo erant, gratiffimus fuit, & fe ad arbitrium, & nutum eorum finxit, & accommodavit; Mundo ferviens, quem fibi videbat in omnibus obfequentem.

Voluptati indulfit, quæ ex amore cæco creaturarum rerum oritur: quâ quidem omnia metiri voluit. Non intellexit, quod ethnicos non latuerat, quàm fit turpe diffluere luxuriâ, & delicatè, ac molliter vivere: quàm verò honeftum, parcè, continenter, feverè, fobriéque. Tam fluxa erat, & tenuis corporis ejus temperatio, ut lenior ventus eam turbaret. Quamlibet mulierculam mollitie vincebat. Quæ quidem non dico, ut aliquid de Rancæi gloriâ delibem; fed ut fimplici veritate manifeftatâ, declarem omnibus, Deum mundo locum dediffe; non cohibuiffe voluptatem; permififfe, ut eum vanitas traheret, obtineret; ut humanâ fpe totâ pereunte, rota vis humanæ defperationis accederet: quatenus quod in pofterum in-

Ran-

Rancæo factus erat, Divinum esset, non humanum. Nec aliud ad bonam frugem ipse se recipiens, præter mutuam operam afferret; sine qua nemo, etiam vocatus ab utero, ad salutem æternam pervenit.

Interea Rancæus, cui Sancta à Sanctis tractanda non licebat ignorare; à Victore Buttilierio Turonensium Archiepiscopo Patruo suo ad Sacerdotium promotus est. Omnem ita Religionem excusserat, ut ipsum profana, & intemperans licentia à sacris cohibere non poterit. Certum est, Rancæum temerariæ dominatrici animæ cupiditati non ita paruisse, ut nihil nisi impotenti animo faceret. Exquisitæ indulgebat voluptati, licentiæ fines præscribendo. Spem amplificandæ fortunæ immoderatiori luxu elevare nolebat. Hoc pacto ut se gereret, suadebat ambitio, quæ in sinu Sacerdotum dormiens, perniciosa sacrilegii forma, nihil relinquens intentatum, à Cypriano vocatur. Ceterùm quidquid temporis aulicis officiis subtrahere poterat, venationi tribuebat vir Sacerdos; Quamvis tot Summorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum oraculis Sacerdotibus sit interdicta: atque eam falsorum Deorum cultores ipsi, non Sacerdotalis officii, sed bellicæ disciplinæ rudimentum appellaverint.

Doctoris deinde Parisiensis gradum, primo obtento sociorum diplomate, Rancæus accepit. Sed cùm illum Rex Christianissimus ad Episcopatum Sancti Pauli Leonensis destinasset; tantum abest, ut acquieverit, ut contra se eximi curaverit à dignitate, quâ nimium angebatur. Civitatem ab aulâ remotissimam pro honorifici exilii loco ducebat. Ambitione summâ nervos ætatis, industriæque contendebat ad pingues, commodasque dignitates obtinendas, in quibus extra modu m sumtû, magnificentiâ, effu-

 sione

sione prodigâ niteret. Sic planè Rancæus bona Dominica, pecunias Christi, res Dei, pretia peccatorum, pauperum patrimonia, deposita pietatis, vota fidelium, Ecclesiasticos proventus dissipandos credebat. Sic ministerium Apostolicum, vestium cultu, equorum fastu, amplis ædificiis; non moribus ornatis, studiis spiritualibus, operibus bonis ducebat honorificandum.

CAPUT QUINTUM.

Errantem Rancæum Deus ad pœnitentiam vocat. Ille autem interiori gratiæ resistit. Ordinis Ecclesiastici ob dotes eximias spectatissimus, apud Regni Proceres magnâ existimatione, & eximia spe claret. Gondium Cardinalem Parisiensem Archiepiscopum, Harlæum Rothomagensem Archiepiscopum, & Bagotium Jesuitam egregie adjuvat.

DEus, qui vult, omnes homines salvos fieri; cùm Filium proposuerit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi: manu mitissimâ, & misericordissimâ, ut Augustini verba usurpem, errantis Rancæi cor pertractare, & componere dignatus est. Variis illum casibus Mundo cœpit abstrahere. Ut qui jubentis verba non audierat, ferientis verberibus admoneretur. Dignitatis, & gloriæ flagrantem animum fregit morte Leonis Buttilierii ex Comitibus Sabiniacensibus, publicæ rei Administri Patruelis, quem seipso semper chariorem habuerat. Quidquid gratiâ, & autoritate valebat, Armando Johanni valebat: illiusque morte ab excitata fortunâ, ad inclinatam, ac prope jacentem ipse descivit. Quamvis

vis illi acerbissimus doloris sensus gravi casu fuerit inustus; nullatenus tamen, quod sibi in eo proficuum esse poterat, aspexit. Nondum sciebat id, quod postea tam diligenter discipulorum mentibus inculcavit. Eos scilicet, qui bene, vel malè, moriuntur aliis potiùs, quàm sibi sæpe mori. Gravissimique infortunii genus esse, dum repentinâ hominum morte non movemur, nec nobis aliorum pericula proveniunt ad salutem. Cùm emendationi Rancæi Deus optimus maximus instituisset sublato fortunæ adminiculo, illum insuper ad se voluit revocare, non alienis sed propriis periculis admonendo, soli Deo adhærere bonum esse, & in eo spem omnem esse ponendam.

Ad Sequanæ ripam Lutetiæ Parisiorum die quâdam, ambulans, variis in eum casu, aut consilio explosæ catapultæ plumbeis globulis petitus est, quibus trajectus esset, nisi eos in chalybe venatoriorum loculorum excepisset. Explicatius erat Divini præsidii signum, quàm ut Rancæo manifestum non fieret. Illud optimè deprehendens exclamavit: quid ergo mihi infelicissimo esset factum, nisi in me Deus misericors extitisset? Clementissima certè est circa filios Adam Divinæ pietatis recordatio, quæ sua non desinit largiri beneficia, non solùm ubi nullum invenit meritum, sed etiam ubi totum videt contrarium.

His Divinæ misericordiæ beneficiis, quibus tantisper afficiebatur Rancæus, diligentiùs utebatur Felix Vialart Catalaunensium Episcopus. Fusis die, noctéque lacrymis pro Rancæo ad malitiam propriæ perditionis accincto, & indè exultante, unde erubescere debuisset. Ah quid agis Amice! quâvis occasione Rancæo dicebat Præsul: *Ad alia natum te video.* Nemo in illâ, quam arripuisti, viâ, immortalis factus est. Nulla unquam ibi lux secura fulsit.

Cuncta mortalium incerta; nisi fortè mortem, & peccati pœnam excipias. Quis te Divinorum beneficiorum immemorem æquo toleret animo, quem erga beneficos gratissimum omnes norunt? An humanis Divina leviora sunt munera? An verò Deus tam malè de te meritus est, ut deteriori quàm homines conditione apud te esse debeat? Sed inanem operam ludo, corporis aures pulsando verbis, nisi Deus cor mundo deditum tangere velit.

Rancæi cor tangebat Deus: Verùm Spiritui Sancto resistebat ille nugis nugarum, & vanitate vanitatum retentus, & ligatus non ferro alieno, sed ferreâ voluntate. Terrâ obligatus, qualis Augustinus, militare Deo recusabat; & impedimentis omnibus sic timebat expediri, quemadmodum impediri timendum erat. Ita Sarcinâ seculi, velut somno assolet, dulciter premebatur. Et cogitationes, quibus in Deum meditabatur, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superari gestientes, soporis altitudine remerguntur.

Nihil adeò arduum est, quod constantis voluntatis sincerum propositum non superet. Unde ubi nihil fit, velle profectò deest. Rancæum igitur saniorem vitæ rationem inire tunc temporis noluisse constat, quem nullum justitiæ fructum attulisse videmus: sed fonte aquæ vivæ relicto, fodisse sibi cisternas dissipatas. Perspicuum hujus rei indicium est absurdum, & repentinum consilium, quod Vereti inter epulandum cum tribus ex amicis suis iniit, terrâ marique Mundum quaquaversum pari sumtu peragrandi; Et Equitum vagantium more, parato ad omnem eventum animo, quò ventus flaret cursandi. Animo destinata perfecissent, nisi Deus, eorum cogitata, quorum vanitatem videbat, illis ipsis dissipasset viis, quibus illa perficere

ficere volebant. Quis iis ereptus periculis, Deo ad pœnitentiam vocanti, non obtemperasset, præter Rancæum patientem controversiam in corde suo? Dum illum satìs sublevabat gratia, statim tyrannis inveteratæ consuetudinis prægravabat. Delectabat eum quandoque superiùs alliciens æternitas, sed opes inferiùs retinebant. Opus salutis ad quod perficiendum accesserat, non attingebat. Lege enim peccati repugnante legi mentis agitatus trahebatur. Cur mundo nuncium Rancæus non remitteret, præsertim in causâ erant blandæ, & assentatoriæ laudes, quibus præclaræ animi ejus facultates à Regni etiam Proceribus illustrabantur. Victor Buttilierius Turonensis Archiepiscopus, qui illum sibi successorem oculis, & mente designabat, ad Cleri Gallicani comitia eum à Provinciâ Turonensi legari curavit; Ceu unum ex omnibus maximè natum, aptumque ad maximi ponderis res procurandas. Illis in comitiis, tum ob diuturnitatem, cùm ob varia, quæ in iis tractata sunt negotia, celeberrimis, à cunctis Præsulibus Rancæi doctrinæ, & meritis acclamatum est. Nec ibi ab aliquo quidpiam dignum laude factum reperio, in cujus gloriæ societatem Rancæus non venerit.

Decretis Eusebii, variorumque Patrum Græcorum novis editionibus inspector ipse præfectus est; cui operam collaturi erant allecti ad idem munus tres ex iis, qui inter ceteros, eruditionis perfectæ laude florebant. Majori tamen ornamento, ipsi fuit singularis ea, quam sibi in veritatis, & justitiæ juribus defendendis strenuè vindicavit potestatem. Novit Orbis sub Cœlo totus quàm strenuè verbis, & factis adjuverit Franciscum Harlæum tunc Rothomagensem, postea Parisiensem Archiepiscopum, quem in pristinam asseruit libertatem, in re incertissimâ amicum se

illi

illi certum exhibendo. Desertorem esse salutis amici, turpe est forti viro. Cardinali Jo: Francisco Gondio de Retz generosi animi, & studiorum consensione amicitia sincera Rancæum sociaverat. Quando Julio Mazarino Cardinali æqualis & æmuli, Gondio Superioris impatiente, jamdiu latentes erupêre simultates, quibus omnium aures caluerunt. Opperiebatur Rancæus occasionem subveniendi amico, cui summa virtus, & dotes eximiæ libertatem eripuerant. Cùm Burdigalensis Archiepiscopus, & unus ex aliis Præsulibus, in gratiam Gondii Cardinalis Archiepiscopi Parisiensis verba ad frequentissimos Præsules fecêre. Oblatam occasionem Rancæus arripuit, ferventissimè pro amico custodiâ detento perorans, quem publicus amor fecerat suspectum. Quâ re nunciatâ, Mazarinus indignatione commotus verba protulit, quæ indicabant, quàm ingrata ipsi Rancæi libera vox accidisset.

Licèt nihil omnium, quæ in se dicta fuerant, Rancæum fugeret; deduci non potuit quò minùs aleæ periculosæ plenum susciperet negotium sibi à Clero injunctum, Cardinali Mazarino pro Gondio supplicandi. Magnæ invidiæ, & magnæ gloriæ initium diem illum Rancæo fuisse fatendum est. Cùm enim Archiepiscopus, cum quo legationem obibat, non recta & vera, sed placentia locutus esset, ut se ad Mazarini Cardinalis nutum conformaret; conceptam ex damnandâ prævaricatione indignationem obscurè ferre Rancæus non potuit. Unde studiosissimus veritatis, & justitiæ defensor, metuens, nè sibi malignus Comes rubiginem affricaret; veros Cleri Gallicani sensus, quos Archiepiscopus perverterat, aperuit. Proditorem siquidem se veritatis credidisset, non solùm cum socio Præsule mendacium pro veritate loquendo; sed etiam non liberè

berè pronunciando veritatem, quam pronunciare oportebat; aut eam non defendendo, quam defendere necesse erat. Quâ quidem libertate admodum ingenuâ perculsus Archiepiscopus succensuit Rancæo, qui in lucro deputavit esse iram hominis, cujus ingenium multiplex & tortuosum. At Mazarinus audacioris sinceritatis insolens, postquam eâ se læsum asseruisset, Rancæi tamen virtutem, cui irascebatur, miratus est. Et nihil intentatum omisit, ut illum ad suas partes attraheret.

Accessit in comitiis gloriæ Rancæi cumulus, datâ tuendæ justitiæ occasione commodissimâ. Pater Bagotius Sacerdos Theologus è Societate Jesu eruditum, eo tempore, de Hierarchia & Episcoporum potestate librum edidit. Nonnulli Præsules in opus illud conspiraverant, illiusque lectionem fidelibus interdicendam declarabant, quod errores passim in eo reperiri arbitrarentur.

Intercessit Rancæus. Nec Viro Sacerdoti optimè de Ecclesiâ merito, alumno celeberrimæ, & ornatissimæ Societatis inaudito notam ad ignominiam sempiternam inuri passus est. Itaque liberrimam vocem mittens in eos, qui in proposito persitabant; ceteris autor fuit, ut advocaretur Pater Bagotius rationem redditurus, quamobrem egregio operi nævos inspersisset, propter quos in varias reprehensiones incurrerat.

Cùm primo comitiorum consessui Bagotius exemplò se sistere non dubitasset; intelligenter fidei suæ, & operis integritatem manifestavit. Rancæus verò, qui vacuos ad illum audiendum animos, Præsules afferre curaverat; hominem in castris ejus, præsidiisque versantem, opportunâ defensione in honorem adduxit. Nec diem egit otiosum, usquedum cum laude ex consilio dimitteretur Bagotius

tius, quem contumeliosè, & opertum dedecore dimittendum, quidam historiâ mendosiori prodiderant.

CAPUT SEXTUM.

Ab Aurelianensi Duce in Supremum largitionum Ministrum Rancæus eligitur. Commune eam ob rem gaudium. Tristia lætis intexit Deus.

Cum Rancæus omnia summa consecutus esset, eruditionis, nobilitatis, eloquentiæ præstantiâ; nova ejus in Ecclesiam Gallicanam merita, Cleri Gallicani Præsules honore novo duxerunt illustranda. Nunciante quippe Ludovico Gondrino Senonensium Archiepiscopo, dignitatem primi largitionum Ministri Rancæo collatam esse à Gastone Johanne Baptistâ Aurelianensi Duce Ludovici Decimitertii fratre, ea in gratiam Rancæi fecêre Præsules, quorum nullum sibi propositum exemplum in superioribus comitiis habebant. Electos ad Archiepiscopum Turonensem Rancæi Patruum, qui rem promoverat, legatos miserunt; ut omnium nomine grates ipsi rependerentur: quasi eorum unusquisque beneficium accepisset, quod soli Rancæo collatum fuerat.

Sed & aliquid eximii decoris Rancæo moliri volentes, literas omnium Præsulum verbis ad Aurelianensem Ducem à laudato Senonensium Archiepiscopo dari curarunt. In iis Regiæ Celsitudini declarabant, quod cùm Rancæo collatum beneficium universo Clero commune censerent; à debitis officiis se defecisse crederent, nisi illud pari jure gratâ memoriâ prosequerentur. Quibus tantam subnectebant amoris in Rancæum significationem, ut facilè quisque judicet, Gondrinum, & Præsules in hâc Ran-

cæi

cæi re omne studium, curam, & operam posuisse, atque consumsisse.

Rescripsit Princeps, se sibi potiùs, quàm Abbatis Rancæi commodis consuluisse, dum eximiis animi ejus donibus attentè consideratis, & ductus nominis ejus, & famæ celebritate primariam domus suæ dignitatem Ecclesiasticam ipsi contulerat. Et tam plenam studii, officiique voluntatem erga Rancæum exhibuit; ut amicus de amico amantiùs loqui, aut honorificentiùs sentire vix valeat.

Profusa fuit omnium Aulicorum lætitia. Et quamvis Rancæus ab Aulicis urbanitatibus, sutpra quàm credibile est, fucatis, alienus esset; lætitiam tulit apertissimè, & hâc gloriâ se titillari in omnium oculis ostendit. Nondum voluptatem ex plurium assensione venientem contemnebat homo terrestris, qui sibi imperare noluerat, ut crederet, Deum dissipare ossa eorum, qui hominibus placent. At ratio veritatis postulat, ut fatear, quòd licèt novi honoris pedissequa plerumque arrogantia sit; nihil tamen insolens, superbum, aut in rebus novis novum in illo deprehensum est.

Rancæus in comitiis famâ sui fruebatur, cùm Deus, qui videt, amorem Mundi pejus blandiri, quàm furat, universasque laudes gravare nos, & in periculum mittere, mundanam ejus felicitatem, misericordiæ tormentis temperare voluit. Homines emergere sivit, quos Rancæi constans, & excellens virtus, & in rebus tractandis peritia invenerat inimicos, qui occultè nuntiarent, fidem ejus Primo rerum Administro Mazarino Cardinali suspectam esse. Proinde timendum, nè comitia linquere cogeretur peculiari rescripto, cui spontaneo recessu occurrere fatius erat. Habebant ista speciem veritatis; sed nullam profectò veritatem

tatem habebant. Metu tamen latori ex incerto actus, & nimiâ credulitate, quæ error magis est, quàm culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facilè irrepit; se repente à comitiis proripuit. Fama mali celerior, quàm boni, ad Rancæi amicos detulit, quàm apprimè inconsideratum facinus ipse patrasset. Gravissimum indè mœrorem susceperunt, timentes, nè viri æmuli oblatâ uterentur occasione ad famam ejus violandam. Scripserunt, certis se autoribus compertisse, eum falsis delusum rumoribus Veretum concessisse. Quare celerrimè regrederetur. Gloriosius ei multò futurum apud optimum quemque, si hominibus ferendæ in alios invidiæ artificibus obsisteret, quàm si terga fortunæ daret.

At Rancæus, qui consideratius ea, quæ evenerant, & humanarum rerum fraudem, & inconstantiam perpendebat; nullâ re adduci potuit ut pedem referret. Quin etiam amicis reposuit, se, cui pluris erant rectæ conscientiæ fides, & præsidia, quibus septus erat, quàm omnium sermo, nihil equidem reformidare; sed cavere omnia debere. Neminem potentes tutum aggredi: proinde tutam, & liberam ab omni discrimine nullam rationem esse sibi, quem, toties conatibus adversantem potentiores inspexerant. Non omnia licèt præclarè gesta, omnibus æquè suavia esse. Se præ aliis virtutibus, sinceritatem colere; nihil ideo sibi sperandum. Persuasum sibi esse, præter culpam, quâ semper caruerat, homini accidere nihil posse, quod esset horribile, aut pertimescendum. Ideoque se tranquillam, & ab omni curâ vacuam vitam vivere. Talia Rancæus ad amicos scribebat, quietâ, ut opinabatur, mente consistens; quamvis agente Divinâ manu, excubaret animo, nec quietis partem ullam caperet. Scio quidem ipsius gloriæ, & vir-

virtutibus invidentes, variis hanc historiam figmentis vitiasse: sed ea adeò levia sunt, ut illa referre pigeat, nedum refellere.

Rancæo solis hominibus tribuenti casus, quos tribuere debuisset Deo, qui nolebat, cum securas dapes caperet humi jacentem, amariorem Mundum alia etiam fecerunt. Aberrationem à dolore, & angoribus captabat, aut agitando feras, aut conquisitissimis epulis mensas amicis extruendo, dum abreptos præmaturâ morte, aut fortunâ duriore conflictatos audiit quosdam, cum quibus conjunctissimè, & amantissimè vixerat. Sed & ipse in graviori vitæ periculo versans Vereti, ubi nullum periculis locum esse crediderat, cognovit, calculum bene ponenti, ubique naufragium esse.

Venationi operam dare cum amicis destinaverat animo, cùm perstrepentium, & tumultuantium in condicto ad venandum loco, quem sibi domini jure receperat, venatorum fremitus ad aures ejus accidit. Iracundiam excitavit ausum. Erupit illico incomitatus, & ad locum strepitûs pervenienti importunè se ostenderunt plerique ex nobilibus accolis, quorum agmen ducebat unus, qui infandis, quæ singularia vocant, certaminibus claruerat. In illum excandescens insiluit Rancæus exarmatus, spoliavitque armis hominem, quem nulla vis coërcere valebat. Hinc ille à Rancæo Divinam quamdam virtutem ipsi opitulantem confessus est necem depulisse. Rancæus autem, sedato considerans animo in quantum vitæ discrimen venisset, gratias egit Deo, qui Angelis suis mandaverat, ut in tam arduis viis illum custodirent.

Ut bene posuimus initia, sic cetera sequuntur. Nè miremur ergo perfectam fuisse Rancæi morum mutatio-

nem, quam grati animi sensus inchoarunt. Itaque tunc cœpit cor ejus salutis semen concipere, quod superpositis zizaniis inimicus homo suffocare conatus est. Nec mirum id videri debet; Enimvero peccati erroribus cæcata mens ejus tenebras sibi offusas non solum discutere recusabat, sed iis admodum delectabatur. Lucem respuebat nitidissimam: & novissimè Solem ipsum, quasi supervacuum fastidiebat. Tam blandè veteris morbi contagia obrepserant, ut languoris causas amaret.

CAPUT SEPTIMUM.

Vias salutis ingredi Rancæus statuit, & rebus fluxis, & perituris nuncium remittere. Incitamenta plurima lapsorum ad mollitiem morum.

Amicis licet, & sibi ipsi dissimulare tentaret Rancæus vultum fingens maximis instabilis fortunæ documentis, lubricæ vitæ periculis, æternæ vitæ consideratione, & timore ereptam sibi esse cordis pacem; fateri tandem aliquando coactus est, se nihil in deliciis, præter fastidium invenire. Tempus acceptabile, dies salutis adveniebant, in quibus nemini daret ullam offensionem, nec ministerium ejus vituperaretur. Deo bene juvante aperiebantur ejus oculi, ut videret nihil stabile esse posse sub fugaci tempore, nullam satis magnam securitatem esse, ubi periclitabatur æternitas: & nihil acumen ingenii, animique altitudinem prodesse sibi turpiter in doctrinâ pietatis erranti. Animum ipsius vehementer conturbabant opima, quæ junior obtinuerat beneficia. Unde illum ingentes sollicitudines exedebant.

Ob-

Observanda est procul dubio responsio data amicorum cuidam, qui, ut ejus animo tranquillitatem afferret, plurimorum beneficiorum possessionem, consuetudine, & multitudinis exemplo confirmaverat. Scias, reposuit Rancæus, eiranrium multitudinem, errori non parere patrocinium. Consuetudinem sine veritate, vetustatem erroris esse. Supremos Christi Vicarios Romanos Pontifices, qui nec fallere, nec falli possunt, à plurimorum simul beneficiorum uni collatione, citra gravem necessitatem, semper alienos fuisse: Varias eâ de causâ sacras leges conditas, quibus legitima immunitas robur addit, & firmamentum: Viros Ecclesiasticos, qui falsi quidpiam adducunt, ut his legibus solvantur, eam sibi ruinam arcessere, quæ non homini, sed Deo mentientibus imminet: Talium præfecturam, prædam esse: Nihil indignius, aut iniquius esse posse, quàm si inerti, & inutili Clerico varia, sine causâ, conferantur beneficia, quorum redundantes proventus vix unius avidi cupiditati sufficientes, plurimorum Sapientum vitæ sustentandæ sufficere potuissent. Scio, addidit Rancæus, me sic loquentem, damnatorium in me ferre judicium. Verùm perspicuæ, & exploratæ veritati nequeo repugnare. Collata mihi equidem sunt juniori, & inexperto varia, quæ obtineo, beneficia. Hinc me de ambitu defendit saniorum inscia juventus: sed protractam nimiùm possessionem damnat oculatior adolescentia.

Ad majores ipsum redigebant angustias, doloremque cumulabant Ecclesiastica beneficia, quæ jure fiduciario possidebat. Quod Pontificis Romani supremâ auctoritate fuerat factum damnare sine gravi piaculo non poterat. Verùm angebant eum speciosæ quidem, & reipsâ futiles causæ ad nominationem à Principibus Viris extorquendam à

pa-

parentibus adductæ. Tantùm abest, ut Convenarum Episcopus, quem consuluit, molestissimâ illum animi perturbatione levaverit; ut potius severioribus responsis, conscientiæ stimulos auxerit. Itaque asperum jugum, & duræ servitutis pondus esse Rancæus perspexit, ambire terrena, quæ tantam possidentibus molestiam procreabant, & à summo bono plerumque avertebant.

Scriptis ejus consignatam habemus rem primo aspectu levissimam, sed ex quâ uberrimos percepit fructus Vir electus, cui omnia cooperabantur in bonum. *Die quadam*, inquit, *congressus sum Opilionem, in latè patenti agri planitie gregem agentem, aspero tempore, quo coactus fuerat ad conquirendam adversùs pluviam, & tempestatem sub arbore procera defensionem. Insolitam in eo speciem, ut mihi quidem videbatur, observans, vultumque maximam pacem, & tranquillitatem cordis præferentem, (annos sexaginta natus erat) ab illo quæsii, num quamdam ex quotidiana vivendi ratione voluptatem hauriret? Ille verò respondit mihi, se summam in ea quietem reperire. In agendis simplicibus, & innocentissimis ovibus se conquiescere vehementer. Sibi dies tanquam momenta temporis evanescere. Tam suavem esse sibi, quam sequebatur, conditionem, ut terrenis omnibus illam præponeret. Regibus tantam, quantam sibi nec felicitatem, nec lætitiam esse concessam. Se perfectè, & cumulatè felicem esse. Et invitè terram cum cœlo se commutaturum, nisi campi occurrerent, in quibus greges sibi crederet agendos.*

Haud dissimiliter Augustinus inhians honoribus, & lucris, patiensque in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, Deo propitio, veram humani generis miseriam animadvertit occasione orationis, quam in laudem Imperatoris

toris Valentiniani recitare paraverat. Cùm enim per quemdam vicum Mediolanensem transiret, obvium habuit mendicum insigniter fatuum, & cutatâ cute hilariorem. Hunc omnibus lætitiis lætum videndo, vicem suam, & amicorum valde doluit Augustinus; quòd doloribus insanarum cupiditatum non vellent aliud, quàm ad securam lætitiam pervenire, quò mendicus ille jam eos præcessisset, nunquam forsitan illuc perventuros. Tantùm Opilionis tranquillitas Rancæum commovit, quantùm Augustinum mendici gaudium commoverat.

Timore Domini, horrore ante actæ vitæ, & peccati perfusum tunc se eo vidit modò Rancæus, quem postea disertis verbis exposuit: *Dum cordis errores sequebar*, inquit de se loquens, *non solùm iniquitatem quasi aquam bibebam; verùm etiam tanta erat animi mei cæcitas, & cordis durities, ut lectis, & auditis de peccato tam levem fœditatis ejus ideam efformarem, metumque conciperem, ut multò magis inde reus efficerer, nedum ad sanioremn frugem redire conarer. Tandem faustum illud tempus advenit, in quo Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis ad me conversus, propitiis oculis aspicere me dignatus est. Præcipuo illo suavi aspectu, nebulas, & tenebras animæ meæ luce, & vi sua ipsa illustrante: ea die illucente, monstrum illud infandum consideratiùs sum intuitus, quocum ad illud usque tempus tranquillam, & periculosam vitam duxeram, quòd immanitatem, & rabiem illius ignoraram. Ah! si Deus peccatoribus ostenderet, sicut ostendit mihi, furiosum, cui se comites adjungunt, draconem; corda eorum sine dubio, præ timore rigerent, salsique misericordiæ miraculis mortem effugerent.*

Cùm novas sibi vias calcandas Rancæus præscribe-

ret; Vir summæ autoritatis agere cum ipso voluit de obtinendo, designatâ in locum Avunculi successione, Turonensi Archiepiscopatu. Quod ut consequeretur, fidei, officii, & amicorum proditio ab eo requirebatur. Solita Aulicorum ambitionis idolo sacrificia. Insita generositas Rancæo, qui res fluxas, & caducas jam Deo postponebat, non fivit, ut rem detestandam indigno silentio premeret. De pretio ad obtinendas infulas proposito, ceu de gravissimâ injuriâ sibi illatâ, conquestus est: Omnique asseveratione affirmavit, se eo in amicos animo affectum, quem neque inflecteret gratia, neque potentia perfringeret, neque propositæ dignitates, aut blanditiæ emollirentur.

Deus, qui uberrimum, ac præstantissimum fructum rectè operantibus largitur, tam egregio perpetrato facinore, uberioribus ipsum gratiis cumulavit. Augustas menti ejus ingessit cogitationes, quas sic ipse amicis aperuit: *Videbam*, inquit, *quàm parum solida sint vita bona, quæ obtinentur cum labore, & obtenta brevi possidentur. Inspiciebam, quàm miseranda esset plurium ex Episcopis vita; & ad me reversus dicebam: Dum Episcopatum adeptus fuero, eorum, quos non approbo, vestigiis insistam. Nam etiamsi major, quàm illi, ornarer probitate, sanior tamen non esset mea vita ratio, cùm veras mihi ad Episcopatum vias non aperuissem.*

Hæc animum Rancæi à dignitatibus alienum habuere. Mundum, & homines planè flocci pendit aliis de causis, quas elegantiùs ediſſerit ipse ad amicum scribens, quàm ut verbis ejus aliquid addam, aut detraham. *Quæris à me*, inquit, *cur ex hominum societate, & è Mundo effugerim? Apertè fateor, quod res est: me nempe Mundo valedixisse, quod in illo nihil eorum, quæ quærebam,* re-

reperirem. Quietem desiderabam, quam ille dare mihi non poterat. Nec ad suprema fortè collineassem, aut oculorum fixissem obtutus, si summo infelicitatis genere eam mihi quietem mundus contulisset. Illa ipsa, quæ me mundo striētius illigabant, tantum mihi stomachum moverunt, ut me ipsius me puduerit, quod iis insistendo adhærerem. Denique festivi congressus, delectamenta, consilia de fortunis, ac dignitate stabiliendis, mihi tam frivola, & vana visa sunt, ut eorum omnium me fastidium, & nausea cœperit. Concepta contemtio de maxima parte hominum, in quibus nec fidem, nec probitatem, nec gratum animum deprehendi, aliaque mecum perpensa, ut mihi amara fugerem, fluxerunt, & ut suaviora persequerer. En sanè quomodo rerum humanarum despicientiam sibi ad salutem Rancæus censuit adhibendam, ut soli Deo adhæreret. Intellexit, beatam vitam in regione mortis non inveniri. Amandum unum bonum, in quo sunt omnia bona. Illique, qui se Filium Dei credit, actibus, vitâ, moribus, honestate, tanto generi respondendum esse.

CAPUT OCTAVUM.

Continuatio ejusdem materiæ. Rancæus varios in locos secedit. Viros probos consulit. Saluberrimis Aurelianensem Ducem morientem confirmat monitis.

TAm ineptè Mundus Rancæum ad Deum redeuntem carpsit, ut Caput istud paulò longiorem exigat orationem. Quamvis longa non sunt, quibus nihil est, quod demere possis. Præterea pericula, à quibus illum à Deo liberatum dixi, infinita planè recensere possem, quibus ostenderetur, Deum custodisse Rancæum ut pupillam oculi;

ceu administrum brevi futurum ædificii ſpiritualis, cujus laus ad decus, & fructum Eccleſiæ redundaret. Equitationis amans Rancæus generoſo quidem, ſed aſperrimo inſederat equo, qui in furorem præceps, illum tanto in terram proſtravit impetu, ut deliquium patiens, ultimum viſus fuerit ſpiritum efflaſſe. Qui ad opem periclitanti afferendam advolarunt, ſalutem ejus crediderunt deploratam, cùm non ſolùm corpus attritum, ſed præcipuam ex venis penè diſruptam adverterunt. Deus tamen ſic contritiones ejus ſanavit, ut priſtinæ intrà breve tempus reſtitutus fuerit incolumitati. Eâdem planè ratione horrendo ſubductus eſt periculo, & convaluit, dum equus, quo vehebatur, illum in lacunam ſupinum proſtravit, ſtomachumque acerbiſſimè protrivit. Humanâ ſpe totâ pereunte, ut in liberatione nihil illi humani occurreret. Non leves inquirendæ ſalutis æternæ fuerunt Rancæo cauſæ, hujuſmodi caſus adverſi, in quibus ſolo Deo ad ſalutem Medico uſus eſt. Sed potiſſimos addiderunt ſtimulos tum ea, quæ ipſum ſcribentem induxi, tum quæ his contexere operæ pretium eſſe duco.

A decimo & ſeptimo ætatis anno, inquit, *cùm Studiorum Philoſophicorum curſum peregi, uſque ad trigeſimum in Mundo verſatus ſum. Novum vitæ inſtitutum inivi, quòd Mundum mihi moleſtum, & fallacem eſſe cognoverim. Nullam prorſus ſoliditatem reperi in cunctis, quibus ſumma Mundi faſtigia innituntur. Eorum, qui feliciores creduntur, ſæpe moleſtias, perturbationes, angores, infirmitates animi conſpiciebam. Corda illorum innumeris omnino modis diſcerpere videbam cupiditates, quibus ſe dediderant. Me iiſdem libidinibus obſequentem, eædem premebant moleſtiæ. Quam numquam res creatæ dederunt felicita-*

citatem, in illis inquirebam. Rebus inanissimis occupatum cor meum, nunquam vacuum erat agitatione, & sollicitudinibus, quæ nullum lætitiæ locum linquerent. Versabam animo conditionem eorum, qui ad amplissimos provecti erant honores, quos cupidiùs confectabar; & dissimilima vitæ, & officii ratio animum percellebat. Nec minorem mihi terrorem incussit quorumdam hominum vitæ finis, stuporque cum quo intuiti sunt extrema, è quibus æterna pendebant.

Quæ Rancæus hic de seipso commemorat, ad tempus illud sunt referenda, in quo sanctioris vitæ fundamenta jacere contendit. Tunc enim trigesimum ætatis annum attigerat. Mundum autem verè, & perfectè, nisi expleto trigesimo septimo non dereliquit; Cùm strictiorem Ordinis Cisterciensis in Monasterio Beatæ Mariæ de Persenia disciplinam amplexus est. Ab isto vero tantùm anno vitæ Rancæi initium ducere debuissem. Siquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est. Ut ait Pontius Diaconus in vità Sancti Cæcilii Cypriani. Sed omnes, etiam erroris annos credidi numerandos in laudem gratiæ gloriæ Dei. Ut sciamus, quæ sit spes vocationis ejus: Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in eos, qui credunt secundùm operationem potentiæ virtutis ejus. Deum in Rancæo juniore quædam mala permisisse credendum est, ut ex illis etiam benefaceret. Itaque octo in investigandis divinis super se consiliis consumsit annos; scitè, & commodè maturum tempus capiens ad explorandum quænam esset voluntas Dei bona, & benè placens, & perfecta.

Cùm autem divina consolatio admodum delicata non pateretur extraneam; nec vocem Dei, qui in solitudi-

ne ad cor loquitur, inter tumultuosos Lutetiæ strepitus audiret: Varios in locos soli Deo, virisque æquum, bonumque colentibus pervios concessit. Ut Christum sicut Johannes expectaret in solitudine. Illum ad accuratissimam Religionis amussim mores exigere meditantem terruit Origenes afferens, quòd quandiu quis (sine necessitate, aut vocatione peculiari) permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, vix potest esse Sanctus.

Verùm fortitudinem solitudinis destrui sciens, nisi consilio fulciatur; & ad oraculum Sancti Spiritûs attendens; cùm sapientibus, & prudentibus tractandum, & cor boni consilii secum statuendum judicavit. Consilium exquisivit virorum, quos virtus eximia commendabat. Unum inter alios reperit, qui cum eo summo jure agere, nec præfractè de universis operibus judicare voluit. Rancæo languente viso non duxit prætereundum novæ legis Sacerdos. Simul usus est justè consolante misericordiâ, & piè sæviente disciplinâ. Quarum utraque, teste Gregorio Magno, destruitur, si una sine alterâ teneatur. Hinc est, quod Rancæi semivivi vulneribus vinum adhibuit, & oleum: ut per vinum morderentur vulnera, per oleum foverentur. Miscuit lenitatem cum severitate. Fecit quoddam ex utrâque temperamentum: ut neque multâ asperitate pœnitentem exulceraret; neque nimiâ benignitate solveret. In illo ergo fuit amor, sed non emolliens: rigor, sed non exasperans: pietas, sed non plusquam expediret parcens. Inspectâ tamen tyrannide, & vi consuetudinum, quæ in Rancæo naturæ vim obtinebant, suspicabatur vir Sacerdos, se modum excessisse. Sed Rancæi animum explorantí pergrata, & perjucunda accidit responsio, Deum, hominesque

quę conteſtantis, nihil ſibi, præ magnitudine iniquitatum, niſi leviſſimum impoſitum fuiſſe. Quin etiam, ſe nimio ſtudio indulgentiùs, quàm par erat, complexum, quæſtus eſt. Unde indictis pœnis, victûs, cultûſque in primis aſperitatem, atque horrorem, lecti duritiem de ſuo liben-ter addidit. Semper gaudens, ſine intermiſſione orans, in omnibus gratias agendo, quod ſibi liceret, per hæc tor-queri, per quæ peccaverat. Deo hilarem datorem diligen-ti, cor contritum, humiliatum, & lætum offerebat, de-precans, ut animas amans, parcens omnibus, ſibi etiam parceret. Poſtquam autem illum acceperat tædium, & ge-mitus cum memoria præteritorum; gaudio locum dabat, audiendo per ſua tormenta bene ſecum agi. Bonis jam ad virtutem, auxilio divinæ gratiæ, viribus erat Rancæus; quando Deus cuncta electis ſuis cooperari faciens in bo-num, cognoſcendæ, ac contemnendæ magis terrenæ va-nitatis amplam occaſionem illi porrexit. Tunc enim ex hominum vitâ demigravit Gaſto Johannes Baptiſta Dux Aurelianenſis, cui Regiæ Domûs dignitatis ſupremæ col-latione, variſque beneficiis Rancæus ſe alligari gloria-batur.

Ut primùm Regius Princeps, morbum, quo occultè correptus fuerat, vehementiùs ingraveſcere poſſe ſubdubi-tavit; Rancæum ad ſe juſſit advocari. Mirabili ſolitudi-nis, & ſilentii ſuavitate captum, inter Mundi amaras, & procelloſas agitationes invitum reduxiſſent quævis præter charitatis officia. Sed eâ virtute impellente, quæ cauſas nectere non novit, abjectâ omni cunctatione, rectam in viam Bleſarum, ubi Princeps conſiſtebat, ingreſſus eſt.

Obortæ ſunt Rancæo lacrymæ, eaſque cohibere non potuit, cùm præſenſit anguſtias, ad quas viciná morte Prin-

Princeps homo redactus erat. Ad illum tamen vehementissima corporis, animique contentione conversus, propositis sublimioribus christianæ vitæ mysteriis, fidei, & spei pollicitationibus, labentem ejus animum ad pristinam fortitudinem revocavit.

Et quamvis vitæ dirus amor difficillimè è pectoribus hominum evellatur, eorum præsertim, qui ut Scripturæ verbum usurpem, pacem habent in substantiâ suâ: Spiritu tamen magno Princeps vidit ultima. Postea verò quàm debitas Deo Rancæus rependit grates, quod tantùm securitatis novissimæ Aurelianensi Duci concessisset: adeò animo infixit, & inculcavit grave illud fragilitatis humanæ documentum; ut deinde semper spes, cogitationesque suas in Deum conjecerit; nec unquam humanæ potestatis, aut prudentiæ viribus fidere voluerit. *Heu! heu!* inquiebat rugiens à gemitu cordis sui, *quæ me dementia cœperat, cùm confiderem in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus! Quid ergo animo intendunt mortales, laudem, dignitates, divitias aucupantes? Transvolantibus momentis omnia rapiuntur. Cogitationes eorum timidæ, incertæ providentiæ, spes fallaces extenuantur, & evanescunt. Nihil nisi sempiternum spectandum nobis esset. Et tamen, æternitate neglecta, mansuram semper felicitatem in brevissimo vitæ spatio, in vapore ad modicum parente, filii seculi reperire se posse credunt. Mille aditus patent ad mortem, quàm Princeps throno propior, Regno dignus declinare non valuit. Quid, quæso, è præstantissimo Principe nunc in terris superest, præter luridum cadaver, flebiles mortalitatis exuvias? Ars artium est scire mori: & pauci sciunt id, quod omnibus faciendum est. Nemo timet errare semel, ubi nemo bis errat. Nemo formi-*

midat naufragium post quod non datur secunda tabula. Omnes vivunt quasi semper victuri; & vivere deberent, quasi quotidie morituri.

Stupebant quotquot aderant, inter quos Aurelianensis Episcopus, & laudatus Sacerdos, audientes Rancæum doctè, & peritè de pietatis cultu disserentem. Admirationes in omnibus efficiebant præclara initia, mutatio dexteræ Excelsi, animusque, quem sapientia Divina, & humana liberalissimè excoleret. At ubi Deus discipuli obsequentis Magister est, citò discitur, quod docetur.

CAPUT NONUM.

Varia de Rancæo Mundi judicia. Veretum secedit. Plus æquo sollicitus Archiepiscopus Turonensis illum advocat.

NOn sinè causâ Christianus Jeremias Salvianus ejulat in seculum, quod totum in maligno positum cum Apostolo confitetur. Meritò enim totum esse in malo dicitur, ubi boni locum habere non possunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum est, ut, aut mali sint, qui sunt in illo, aut qui boni sunt, multorum persecutione, vel obtrectatione crucientur.

Dum Rancæus de Mundo erat, Mundus quod suum est diligens, virtutes ejus omnium laude, litteris, monumentis decorandas prædicabat. Sed ut primùm surrexit, & ad patrem, misericordiæ stimulis excitatus, & invitatus redit. Ut primùm virtute solâ, & castimoniâ morum voluit nobilitari; Vereti amœnitates, nè nauci quidem fecit; pretiosas abjecit vestes: Evangelium apertè, & amotis linguæ luxuriantis deliriis prædicavit; splendidam vendidit su-

ſupellectilem; domum ſolis voluit apertam pauperibus, quos effuſis ditare cœpit eleemoſynis; corpus hoſtem blandum, & placidum, inſidioſum amicum, frigore, abſtinentia, aſſiduo ſtudio, vigiliis, labore manuum frenavit: ſolitis illum armis Mundus inſectatus eſt.

In facta, dicta, & cogitata Rancæi malignè inquiſivit, ad eum ridiculo deprimendum. Inſolitam vivendi rationem mœroti tribuit, ut eo pacto, nec pretioſa, nec æmulanda crederetur. His & ſimilibus nemis illata ſibi damna ob vitæ ipſius novitatem tunc velare Mundus tentavit. Alia in eum arma non moviſſet, niſi obtemperans Deo, qui ſegregare illum volebat, in ſolitudinem ſeceſſiſſet; Mundum perfectè linquens vitæ Religioſæ profeſſione.

Tunc enim videns, ſibi detrimento, Religioni ornamento, & præſidio eſſe vitam Rancæi, qui eo ſpiritu actus, qui ardentes pariter & loquentes facit, verbo veritatis, nebulas erroris à multorum animis depellebat: de Rancæo pœnitente ludicra prodidit, innumeraſque nugas venditavit. Hi, quibus ad genium non ſapiebant auſtera Rancæi placita, virtutibus, & vitâ ſeveriori confirmata, illudendi ei occaſionem indè arripuerunt: Nec mirum. Mortalium etenim maximæ parti oculorum ægritudine laboranti lux odioſa eſt, & is qui illam circumfert inviſus.

Indoluêre ſapientes malis viri omne laude majoris, cujus gloriæ, & virtuti plerique inſenſi erant, quòd nimis ex propinquo diverſa argueret. Rancæus, cur pluris erat conſcientia, quàm omnium ſermo, inventa Mundi, amentiamque in quiete tacitus irriſit. Rectè ille quidem. Monuit quippe Philoſophus, quolibet ſtulto proferente contraria, non decere ſollicitum eſſe ſapientem. Unde licèt

cet Cyrillus præcipiat, ut repellamus pro virili iniqua alieni cordis commenta, silentem Rancæum imitabimur. Infructuosus enim est, & inanis labor, ubi non recipit probationem auditor. Nullus autem dubito, quin hujusmodi fuerint ii, qui in Rancæum linguam, & calamum acuêre. Enimvero tam absurdas de illo narraverunt fabulas, majora veris monstra fingentes, ut existimem, tantùm apud eos opinionem præjudicatam potuisse, ut sine ratione valuerit. Inter eos, qui ex sparsis in Rancæum rumoribus molestiam suscipiebant, primas obtinebat ejus Patruus Victor Buttilierius Archiepiscopus Turonensis. Grato animo Præsul illustrissimus, ac juxta Sapientissimus acceperat, Nepotem omni studio, & observantia pietatem colere. Nam licèt subita morum mutatio suspecta sit; omnem à Rancæo suspicionem amoliebatur cunctis comperta fides sincera, & integra, animusque, in quem mentiri, aut simulare non cadebat. Quare apud animum statuerat, illum decrevisse virtutibus, & pietate consequi eos dignitatis gradus, ad quos nobilitate, & doctrinâ contendere potuisset. Ita esse prorsus existimabat, cùm ad ipsum perlatum est, Nepotem, Mundi, Amicorum, Aulæ, & Regiæ Civitatis desertorem, nihil nisi recessus exoptare: tantùmque à novis honoribus expetendis remotum, ut adeptorum injusto onere oppressum se dictitaret. Acerbum animi dolorem altâ dissimulatione premendum arbitratus est Archiepiscopus, donec Nepos Veretum rediret.

Eum in locum paulò post Rancæus se recepit, deserens solitudinem ab amico oblatam, quam illius nomen frequentatissimam fecerat. Inspecto palatio sibi quondam jucundissimo, quòd extra modum magnificentiâ, sumtu, & artis elegantiâ splenderet; vocem extulit, hæc verba nan-

nantibus lacrymis proferens: *O me infelicem! Non nè dececet tam laxè, & magnificè habitare discipulum Crucifixi, qui non habuit, ubi caput reclinaret? Splendidum ædificio, cultuque palatium possidere hominem Ecclesiasticum, qui in partem hereditatis elegit sibi Deum, summum, atque incommutabile bonum, in quo, & à quo, & per quem bona sunt omnia? A quo averti, cadere est; in quem converti, resurgere est; in quo manere, consistere est. Quid mihi cum gaza, & mollioribus deliciis undique redundantibus? Palatium; & opes accipiant illi, qui terrenis immorantur, nec de æterna patria cogitant. Qua ratione ego his potiri possum, postquam Christus beatos pauperes, & divites miseros esse prædicavit? Quæ comparatio inter Christum nihil habentem, & Christianum possidentem superflua?*

Relata hæc Archiepiscopo Turonensi ab iis, quibus motus omnes Rancæi, & consilia commiserat observanda, ipsum valde conturbarunt. Quò Nepotis animum prorsus calleret, ab incunabilis undequaque illum exploraverat. A quâcumque mediocritate mentem fervidissimam cognoverat penitùs abhorrentem. Unde metuebat, ne ardentioris pietatis impetu Nepos abreptus extra statutos à prudentiâ limites efferretur. Falsâ eum non delusum opinione detulêre Rancæi amici, quos Vereto expulerat tenuis ejus mensa, & mores ad nimiam severitatem deflectentes. Amor timori pronus varios Archiepiscopi concitavit affectus. Tabescens desiderio Nepotis novis in dies cruciatibus cumulantis pœnitentiam, cui speraverat fore, ut brevi modum imponeret; illum ad se advocavit.

Rancæus pecunias erogans quingentis egentibus, quorum inopiam toto illo anno sublevaverat, præsto fuit Ta-

Tabellario, à quo audivit quantùm in optatis Patruo esset illum amplecti.

Quàm durus est in Mundum regressus homini, qui vitæ solitariæ delicias gustavit! Veretum supellectili, & ornamentis spoliatum; venatoribus, musicis, voluptati etiam licitæ, & scurris omni ex parte clausum, solis Sacerdotibus viris, & Religiosis patens, egenisque superflua depascentibus; horrida Monasterii potiùs quàm amœna villæ referebat. Nihilominus novus noster Solitarius nunquam Vereto prætulisset Cæsarodunum, quod in mediis Galliæ hortis situm est, nisi Archiepiscopus imperio mixtas geminasset preces, quibus contradici non poterat. Vereto proficiscens Rancæus, nihil Cæsarodunum, præter celerrimæ fugæ desiderium attulit.

CAPUT DECIMUM.

Turonensis Archiepiscopus Rancæo suadere tentat, ut absistat ab incœpto. Ast ille in eo perstat. Constantiam auget suppliciorum futuræ vitæ species divinitus oblata.

Ut primùm Archiepiscopo nunciatum est, Nepotem, quem totum amplexabatur, & gerebat in oculis, advenisse, ad amplexum, & osculum ejus cucurrit, sibi gaudens, quòd tandem Vereto illum expulisset. Cumque plerumque captum vidisset splendore nominis; sermonem statim induxit de his, quæ olim in junioris animo mirabiles sui amores excitaverant. Promta Archiepiscopatui Turonensi successio, hereditas opulenta, Orbis literarii plausus, aperti ad Regem, & Cardinalem Regni Administrum aditus, Lutetia, & Aula favens, universa Mundi blandimenta sollertissimè in medium adducta sunt.

Austerâ fronte, placidè tamen, hæc audiendo cogitabat Rancæus quomodo institutum de nugis nugarum sermonem aliò converteret. Id naturali ingenii dexteritate consecutus est. Dicenti quippe Archiepiscopo, illum spe remotâ, & inani, hereditatis, & successionis non laedari, cùm plurima mortem imminentem esse monerent. Interpellator Rancæus occurrit his verbis: *Mortem*, inquit, *quam in præcordiis tuis conceptam, & viciniorem dicis, cur ego non timeam? Forsan quod floream ætate, dum tu altero pede Charontis cymbam premis? Quasi verò insidiosa mors eò vicinior plerumque non sit, quò remotior censetur. Memoranti novissima, cogitanti dies antiquos, annos æternos in mente habenti, uni Deo adhærenti, per multa vagari non licet. Qui fieri potest, ut ego toties naufragus, esca malorum voluptati, Mundo lenocinanti fidam? Quale nempe est illud, tangere picem, & non inquinari ex ea, in igne sine læsione versari, & in tenebris absque caligine? Quid mihi est in Cœlo, & quid volui super terram à Deo, qui in charitate perpetua dilexit me, & ideo attraxit me miserans? Temporariis promissis moverer, nisi deficeret cor meum, & caro mea in eum, qui quod proponit diligendum, vult esse perpetuum. Quàm libenter assentior Bernardo affirmanti, gustato spiritu, necesse esse desipere carnem; affectanti Cœlestia, terrena non sapere; æternis inhianti, fastidio esse transitaria.* Ut verò feveriores, quas agebat, partes jocus temperaret, hæc liberè, & festivè, finem dicendi faciens protulit: *Scias, Illustrissime Ecclesiæ Princeps, me imitari nolle canem Æsopicum, qui umbræ consectandæ studio, rem amisit.*

Hæc verecundè quidem, sed in gradu firmè perstans Rancæus cùm dixisset, existimabat, futurum ut, Patruus, per-

perspectâ animi sui constantiâ, discedendi copiam faceret. Se conjecturâ aberrasse repentè cognovit. Archiepiscopus enim à monitis ad dicteria transiens, eâ usus est arte, quam quibusvis oppugnationibus validiorem probi sæpe infaustis experimentis didicerunt. Ad omnem eventum paratus Rancæus urbanè ludibria, ceu sales, & facetias excepit. Nihil tamen illi ferendum indignius visum est, quàm rectis consiliis adversam viri fenis, & Ecclesiæ Principis voluntatem, cui omnia pia, & sancta probanda fore crediderat. Prospiciens, bona verba obtinere se non posse, irritum fugere laborem constituit. Ergo precibus omnibus oravit, atque obtestatus est Archiepiscopum, ut, aut divinæ voluntati obsistendi consilium deponeret, aut ejus aspectum præsentiamque illum perpetuo vitare pateretur. Gravissimum namque sibi esse fassus est, Patruum nobilitate, infulis, multâ senectute, & probitate conspicuum, in se sana meditantem ingerere verba; dum malis etiam insitum est probare meliora.

His verborum fulminibus commotus Præsul tam acerbum concepit animi dolorem, ut & cibo corpus reficiendi, & somno levandi curam penitùs abjecerit. In summâ tamen animi perturbatione, viâ & ratione processit. Ut Nepotis fugæ, ceu majori, & impendenti incommodo occurreret; pollicitus est, se illi morem gesturum in his, quæ ad Dei gloriam spectarent. Tum verbis magnificis insescatum deprehendens sic illum subcontumeliosè allocutus est: *An te semper vitinæ lapsibus adolescentiæ tuæ committes? Nunquamnè ingenium tuum subactum de monstrabis? Cùm sis Magister in Israël, an ignoras, eum qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdere? Illa maximè virtuti, laudi, & quod præcipuum est, divi-*

næ

næ gloriæ conducunt, quæ sunt rectissima. Quid autem rectius esse potest, quam labantem domum sustinere, titubantem Patruum omni ope, atque opera juvare, frangere panem parvulis petentibus, qui, te fugiente, dispergentur, & deficient? Si mihi credere renuas, crede Bernardo docenti, eum qui esse vult sibi, incipere nihil esse inter omnia. Magis te tibi debes, fateor, quàm hominibus ceteris: sed te magis, quàm tibi debes Deo, qui varia talenta tradidit tibi, ut alia superlucreris. Dignus est morte, qui sibi vivens, Domino JESU *recusat vivere. Qui Deo non sapit, desipiet; & qui curat esse nisi propter Deum, pro nihilo est, & nihil est. Scio equidem in Mundo viam esse in lubrico, vitam in periculo, salutem in dubio: quin etiam seculo nos premi gravi; quo scelera regnant. Sed præterquamquod cuncta divinæ gratiæ præsidiis, virtute, & studio expugnabilia sunt; nullum periculum est, quod pro Deo Vir Sacerdos, aut refugiat, aut deprecetur. Nulli prorsus ex amicis, & propinquis, maxime verò prudentioribus, consilia tua probantur. Censent universi, te prudentem, scientem, videntem ad interitum ruere. Qua ergo ratione te bonum probabis, si testimonium à bonis non habueris?*

Quamquam ea omnia, quæ à Præsule prolata fuerant, in Rancæi memoriâ hærerent; bonam partem eorum, quæ de se honorificè dixerat, terram intuens, modestè dissimulavit. Unde paucis multa complectens reposuit, se sibi ad illam usque diem Magistrum non constituisse; cùm nihil sinè consilio fecisset. Sibi persuasissimum esse, quamplurimos reperiri posse vineæ Domini Sabaoth experientiores se cultores, & operarios. Nullum se unquam periculum tantum putavisse, quod subterfugere mallet, quàm Ecclesiæ, & proximo inservire. Sed utrumque sinè

sinè dubio consequi posse illum, qui precibus assiduis, temperatis, moderatisque moribus aliis subsidio sit, & exemplo. Multi quidem, addidit, salutem fratrum saluti propriæ anteponunt. Ego verò à Petro Blesensi didici, cum illis non sentiendum. Nemo enim mihi germanior me est. Libenter pro fratribus expono corpus, sed non animam. Denique nondum cognovi sensum Domini, nec mihi oculi aperti sunt, ut videam, quâ mihi in viâ Dei eundum sit. Interea liceat mihi præstolari in silentio salutare Dei. Quod profectò mihi non aliena curanti, sed propria meditanti mala utilissimum fore video.

Archiepiscopus, cui statutum erat, atque decretum, Nepotem de sententiâ detrudere, eum solitudine deturbando; Virginum Deo sacrarum in totâ Diœcesi Turonensi obtulit illi præfecturam. At Rancæus, qui alienis periculis cognoverat, quàm periculosa, & lubrica sit Virginum cura; multis gravibusque de causis, se magnum onus suscipere nolle, respondit. Quo factum est, ut, Archiepiscopus videns illum propositi tenacissimum, nullâ rationum, & auctoritatis vi, nullâ industriâ convelli posse, redeundi Veretum tribuerit illi licentiam, quam in perpetuum volenti animo negare cupiisset.

Illico Rancæus ad omnia se confirmans profectus est: sibique quidvis potiùs malorum experiendum duxit, quàm ut voluntatem aliò flecti, aut detorqueri fineret. Hinc spectator assiduus rerum superarum omnem orationem luminibus verborum Apostoli distinguebat, & frequentabat; isto præsertim oraculo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Totius consolationis, & fortitudinis Deus noster, qui militantes servos spectat; in illis ipse congreditur; nè ca-

cadant, ipse tenet; Rancæo pro salute suâ sollicito, & contra mortiferas Mundi fallacias diligentiùs excubanti, prodigio vires, & animum addidit; & maximâ cum consolatione recreavit. Cùm liberatus à non liberatâ didicerit, quàm diras justitiæ divinæ persolvisset pœnas, nisi gratia, & misericordia illi subvenisset.

Inambulabat die quâdam in primo Ædium suarum aditu, cùm oppositum sibi cavædium horribili incendio flagrare conspexit. Ad ignem extinguendum conclamavit. Accurrerunt repentè omnes, quos clamor insolitus excitaverat. Sed vix risum potuerunt tenere, cùm Rancæum solum contra invisum ignem, & commentitium exardescere viderunt. Indè turpiter eum allucinari credentes, viam citissimè relegerunt. Cunctis aufugientibus, verecundiâ secum ablatâ, quòd nihil inspicerent; Rancæus aliquid supra naturæ leges positum in spectaculo sibi objecto cœpit suspicari. Quapropter ad cavædium progressus est. Sed quò propiùs accedebat ad locum incendii, eò magis deflagrans residere videbatur. Quo semel extincto, oculis ejus obversatus est lacus igneus, cujus ultrices flammæ feminam in medio positam vorabant. Novo spectaculo territa mens Rancæum deferere visa est, & in paatium à servis illatus nullo modo potuit firmari. Illum deliquio concidentem lecto debilitas virium affixit. Tanto perfusus erat horrore, nullatenus sui compos, ut nè verbum quidem unum amici ex ore ejus expresserint. In extremis etiam periculis, & angustiis nunquam non serena frons, maximè turbata erat. Uno verbo, dolore, & metu, quantùm dici potest, opprimebatur. Casus acerbioris causam conjecturis amici Rancæi non assequentes, aliquid ab ipso ad pristinam animi fortitudinem revocato,

pre-

precibus extorquere tentarunt. At nullâ ratione ad obsequendum voluntati eorum repentè potuit induci. Quorundam tamen importunitate victus, quod sibi contigerat, narravit eâ lege, atque omine, ut rem nulli, dum in vivis ageret, aperirent. Multa tamen de illâ Rancæo invito posthâc exciderunt. Et Religio amicis non fuit, quo minùs mira, quæ audierant, aliis nuntiarent.

Timor quidam me commovit, inanis scilicet, sed tamen commovit, nè multùm sermonis subirem, neve mihi Rancæi visionem referenti, indè quidam ansam arriperent exprobrandi, me rebus immorari, gerris, ut ajunt, Siculis, vanioribus. Hinc diù subdubitavi, num satiùs non esset, rem alioquin veram, sed novitate suspectam, prudenti silentio dissimulare, quàm quidquid fidei, & autoritatis conciliavi mihi, convellere apud eos, qui Scriptorem prodigiosa memorantem ineptire arbitrantur? Sapientibus, & insipientibus me debitorem recordabar. Unde postquam scriptum multa liturâ coërcuissem, non semel deletilem spongiam arripui, ut narratiunculâ omnium oculis ereptâ, morosis & mihi satisfacerem. Verùm omni consideratione seclusâ, veritati, quam nihil unquam mali consequitur, obediendum duxi. Nè fortè caput meum illis supponerem periculis, quæ Spiritus Sanctus denuntiat iis, qui verbo veritatis aliquid detrahunt, & de mendacio ineruditionis suæ confunduntur.

Accedit, quod omnibus pertentatis, atque perspectis; copia mihi data est, apud animum meum statuendi, me forte trepidavisse, ubi non erat timor. Quid enim si quidam non crediderint? Numquid incredulitas illorum, testium hujus rei locupletum autoritatem elevabit? Absit. Ego quidem non is sum, qui omni spiritui credendum exi-

stimem. Illum, qui citò credit, non solùm levem esse corde, sed etiam (ubi de suspectis, & à Sacrâ Sede Romanâ non examinatis visionibus agitur) nimiâ credulitate abreptum, in turpissimos errores abstrahi posse non diffiteor. At pericula sua, eaque majora incredulitas haber. Viri quidam etiam excellentes, cùm à vulgi facilitate, & credulitare declinant, (ut observat Vir cautâ credulitate, & incredulitate juxta commendatus) adversum quandoque vitium incurrunt. Suntque tum etiam increduli, cùm in fide nihil est virii; in incredulitate nonnihil est. Plerique nostrâ hâc ætate perversè, nè dicam impudenter, res quas esse gestas gravissimi homines testati sunt, in dubium vocant. Qui si idoneas causas; probabilesque redderent, audiendi fortasse essent. Cùm vero reddant nullas, contemnendi sunt: Ur qui communem hominum sensum exuerint, judiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia rejecerint. Non est hominis benè instituti, & ad vitam humanam rectè compositi, viro gravi rem credibilem afferenti non credere. Rem credibilem dico. Quid autem credibilius, quàm Mundo ereptum Rancæum pœnarum timore, & amore cœlestium, Deum in viâ vitæ prodigio egregiè stabilire voluisse? Ut simul exactorum hactenus certaminum hoc pacto præmium illi deferret; & ad graviora pericula alacriùs subeunda vehementer incenderetur. Deum nobiscum frequentem non esse, perinde ac cum Patribus nostris, quantum libuerit, dictitent: Omnes mira narrantes, visiones videre, & somnia somniare effutiant. Certè nec manum Domini abbreviabunt; nec veritatem adiment rei, quam testium nubes confirmat; & Rancæus ipse, cujus prudentiam in hujusmodi materiis nemo unquam requisivit. Satis ponderari non potest gravis mo-

momenti effatum Hesiodi: Credulitates sanè(nimias)simul & incredulitates perdidêre Viros.

CAPUT UNDECIMUM.

In summas difficultates Rancæus incurrit, quibus generosus animus, gratia Dei, & Sapientum consiliis firmatus non frangitur.

QUæ egregia sunt non nisi magno labore contingunt: quæ mala, passim obvia sunt. Majora erant, quæ Rancæus moliebatur, quàm ut ea facili negotio consequeretur. Hinc multa sibi ad perfectam libertatem obtinendam impedimento esse animadvertit. Beneficia varia, quorum reditus Genitor sumtuosè,ille ipse sumtuosiùs profuderat; Veretum undique redolens luxum cujusdam, è discipulis Epicuri, potiùs quàm Christi bonum odorem, quem in omni loco manifestare debet Vir Christianus; ex hâc hominum frequentiâ exeundi impulsus geminati, qui ab animo quietis amante poterant prodire; Consanguineorum, & amicorum charitas; explorata sibi, ut autumabat, Abbatis Regularis, longè major, quàm fiduciarii securitas, & perfectio, ipsum impeditissimis ambagibus implicuerunt. Acutissimâ mentis acie, & eâ, quâ valebat, doctrina illis omnibus extricare se potuisset. Verùm de se sibi credere non voluit. Cogitans enim quòd plerisque,immo cunctis penè contingere Sapientibus solet, in rebus videlicet dubiis, plus alieno se, quàm proprio judicio credere; & qui aliorum facilè ambigua quæque elucidant, in suis consueverunt scrupulosiùs hæsitare: omnia consilia sua aliorum consiliis firmare constituit.

Mirum est, per quot, & quanta loca Autores vitæ

Rancæi illum cursantem inducant, ut viros inveniat; qui ipsum expeditè omni curâ, & sollicitudine levent. Quasi tam rara sint in Galliis sana consilia, ut non nisi precario obtineri, variisque in itineribus mendicari possint. A censorio munere mihi arrogando prorsùs abhorrens, aliorum conatus non reprehendo. Apertam tamen simplicitatem in scribendo sectans, quidquid usitato more factum, ad prodigium inflecti video; approbare non possum. Animo suo forsan alii imperabunt, ut rarum id habeat, & laudandum. Per me licet. Meo certè quidem imperare non potui, quin rem improbabilem, nimio plus averfaretur. Unde cùm invitam in hoc loco versaturam orationem adverterim, quæ peregrina sectari renuit; brevi dicam, Rancæum scientem, Regnum Cœlorum vim pati, & violentos illud rapere; eos consiliorum autores, & sollicitudinum socios quæsivisse, quorum mores rigidi severiora minabantur. Nullum in negotio salutis conjunctum habere, voluit, quem summa severitas ad famam non protulisset. Id autem præcipuè observo, ut perspicuum fiat, Rancæum perfectæ vitæ ponentem initia longè abfuisse à consilio illorum, qui se ipsos amantes, non quærunt sermonem Domini; sed volunt sibi bonum, & non malum prophetari; Pulvillos sub manûs cubito consui; cervicalia fieri sub capite; nec sanari vulnera, sed veteribus addi nova; dum, medicamenta etiam leniora molliter irrepere nequeunt.

Totus obstupesco memorans, quàm severè, & inclementer cùm Rancæo ab austerioribus consiliorum moderatoribus actum sit. Eorum unus, Ecclesiastica beneficia; alius Veretum, & copias sustulit: tantumque simul, in utraque parte calculis positis, tantum illi dandum censuere tormentum, quantum in deliciis fuerat. Quàm magna de-

deliquisti, inquiebant, tam granditer defleas. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Rancæus, qui sana sicut Pharisæus coram Medicis non ostenderat, sed ægra cum Publicano, in sinu valde gavisus est, quòd tandem, ringente Mundo, viros ex animi sui sententiâ nactus esset. Plus æquo acerba consilia, jam duriùs in se sæviendi firma sententia præverterat. Ex illis non erat, in quorum incredibilem insaniam invehitur Augustinus; quos peccare non pudet; agere pœnitentiam pudet. De vulnere non erubescunt; de ligaturâ vulneris erubescunt.

Nihil ergo fidei ejus firmitatem concutere potuit; quamvis illum quædam aliquantulùm primâ fronte conturbaverint. Hujusmodi sunt à Convenarum Episcopo data consilia de statu Monastico amplectendo, & de vendendis omnibus quæ possidebat, ut velociùs Christum nudum nudus sequeretur nobilis pœnitens, cujus generis erat habere divitias, & calcare. Nam quod ad vitæ Monasticæ abjectionem attinet; dici non potest, quantùm ab illâ abhorreret. Divino tamen posteà munere factum est, ut hujus Instituti sanctitate, & officiis considerationis indagatis, ejus præstantiæ vindex, & assertor perpetuus, mores altè penetraverit, propugnaverit feliciter, sanctissimè tenuerit.

Quod autem dixerat Præsul de premendis strictioribus Christi vestigiis, dignum viro christiano, necessarium homini pœnitenti, Rancæo videbatur. Sed propositam omnium, quæ possidebat, venditionem, Ecclesiasticorum beneficiorum abdicationem, unico servato, æquo animo ferre non poterat. Falsa quidem & temeraria hominum judicia flocci pendo, ajebat ipse; sed nunquam committe-

re debet vir ingenuus, ut homines ansam habeant illum in sermonem, & in justam vituperationem adducendi. Omnis humanitatis, & grati animi sensu expertem eum esse necesse est, qui talia perpetret. Inhumana non jubet Deus; cui rationabile exhibere tenemur obsequium. Ubi quæ suadentur, exsequutus fuero; Archiepiscopo Turonensi mortem, Buttilleriæ genti, infamiam, probrum, & dedecus; amicis, & servis perpetuum allatum fastidium arbitrabor. Hominis Christiani est, nisi æquitatis ratio aliud postulet, velle ab omnibus bene audire. At verò Aulicis, & plebe de famâ meâ detrahentibus conticescere cogar; & omnibus insultantibus, victus & confusus abscedam. Quod jure, ac meritò Petrus Damianus in Viro Ecclesiastico improbat.

Simul ac hæc audivit in dirigendis animabus multùm exercitus Præsul, comprehendit animo, Mundum, Carnem, & Diabolum extrema in Rancæum experiri. Illorum astus salubribus hisce monitis deludendos suscepit. Noli erubescere Evangelium, Amice. Satius est pudoris coram hominibus jacturam facere, quàm animæ coram Deo. Nam si nullius planè rei rationem habeant homines, dum de commodis agitur, quantò magis nos omnia posthabere condecet cùm in discrimen æterna salus adducitur? Quantum Mundi amatores, illi malè operando tribuunt; tantum saltèm Dei servi bene faciendo, debent Deo tribuere. Sicut ergo filii tenebrarum, & seculi sic Mundo famulantur, ac si Deus nullus esset eodem saltèm modo filii lucis, ad æternæ gloriæ coronam, protrito Mundo, contendere debent, quasi solo Deo teste, & comite in Mundo versarentur. Tibi in dies mundus immundus ingravesceret, si à te non diffuta solùm, sed etiam

di-

discissa fuisset societas inita cum illo. Vitam tuam Mundus æstimabit insaniam; & finem tuum sine honore. O te Beatum, si pignus istud hereditatis Divinæ, inter filios Dei computatus habeas! O beata injuria, displicere propter Christum! Magis amor talium timendus est, quibus sine Christo placetur. Archiepiscopus Turonensis consilia tua non improbaret, nisi rerum novarum, & impossibilium cupidum te censeret. Continuò ut observabit, te per bona, & fixa opera certam vocationem, & electionem tuam fecisse, suffragantem tibi eum cum Sapientibus habebis. Certum viriliter age, & confortetur cor tuum. Optima cupias, difficillima cogites: feras quæcumque erunt. Rancæus probè intelligens, interiori amoris sensu sibi benevolum hæc dixisse Præsulem, qui non sua, sed quæ JESU Christi erant, quærebat; plurimùm his in rebus in illius prudentiâ posuit; nec illi vel minimùm posteà ausus est refragari. Is quippe non erat, cui non arriderent consilia, nisi cum ingenio consentirent. Animo certo, & in rebus propositis confirmato erat. Sed cogitationes, mentem, & consilia libentissimè Sapientum judicio permittebat.

CAPUT DUODECIMUM.

Convenarum Episcopo non probatur Rancæi consilium de solitario vitæ genere amplectendo. Alectensem Episcopum consulit, qui pariter adversatur, quominùs Rancæus exeat è Mundo, ut sibi vivat.

HIs omnibus semel statutis; gravior difficultas de vitæ ratione ineundâ Rancæo supererat discutienda. Occasionem arripuit, latentem animo sensum Convenarum Episcopo detegendi, cùm simul deambularent in loco, in quo ex omni parte montes Pyreneos patentes, & aper-

apertos intuebantur. Sciscitanti Præsuli num in iis montibus locum ad pœnitentiam agendam idoneum crederet inveniendum? Respondit Rancæus, se eo ipso tempore illud idem in mente agitasse; & indè ortas vagantis animi aberrationes, quas in longius producto colloquio observare poterat. Nihil sibi unquam optabilius eventurum, quàm si occultissimam quamdam speluncam in loco omni aditu circumciso, atque diremto reperiret. Ad hæc Præsul, ut mentem illius penitiùs exploraret: Peropportunè, inquit, in cum sermonem incidisti. Cùm enim Pastorali munere montes Pyrenæos sæpenumerò lustraverim, tam remotos ab Arbitris locos indicare possum, ut tibi, quamvis difficili satisfactum iri confidam. Rancæus arbitrans, Præsulem seriò loqui, ostendi sibi quemdam horroris locum, & vastæ solitudinis enixè postulavit. Ille verò, qui tot à Rancæo sacrificia requirendo, menti ejus jam satis repugnaverat; moderatè reposuit, nihil sibi in eo consilio Divinæ voluntatis elucere. Interea moderaretur animo, donec audiisset ab Episcopo Alectensi, ad quem integrum istud, & alia proposita negotia remittebat; num illum ad vitam solitariam natum putaret? Multis deinde summæ humanitatis condimentis adhibitam in eum severitatem Præsul temperavit. Ad simulanda negotia Episcopo Convenarum inerat altitudo ingenii incredibilis. Unde fausta omnia promittens, Episcopum Alectensem consulendi facilè mentem injecit Rancæo, cui cum consilio facere Religio erat. Maximè cùm tunc temporis Alectensium Præsul famam integram teneret, & incolumem: cui deinde non solùm aliquid decisum est; verùm etiam meritò maculæ graviores inustæ, quòd Christi Vicarii Romani Pontificis auctoritati, & decretis, in quæ nullus unquam
error

error cecidit, aut cadere potest, obstitere visus fuerit.

Quis Rancæi ceream indolem non miretur? Jam à viro rigido acerbissimè exceptus, alium sibi ductorem dari permittit, quo rigidiorem Gallia nunquam suspexit. Quàm pauci etiam antiqui pietatis cultores, Rancæum pœnitentiæ cursum ineuntem imitantur!

Tantum sibi nomen Rancæus collegerat, ut quamvis Episcopus Alectensis omnem omnino societatem cum Mundo dissolvisset, cuncta tamen Rancæi studia, dotes, rationem, virtutes omni ex parte cognosceret. Itaque quàm honorificentissimè, & urbanissimè illum sinu illum excepit. Hinc Rancæo spes affulsit, futurum ut sibi paulò mitiores leges imponeret. Verùm nullâ prorsùs erga illum indulgentiâ Præsul usus est. Durioribusque ipsum adstrinxisset conditionibus, nisi quidquid asperi rigor antiquus præscripsit, a Convenarum Episcopo repertisset exhaustum. Inde tanquam puerilia deliramenta meditatam solitudinem explosit. Frustrà Rancæus disertè significavit, se vitam solitariam non eligere eo animo, quo plerique, quòd nempe tranquillior; sed quòd securior sit. Laborem se non recusare. Proximi saluti libenter se consulturum, nisi meritò timendum esset, nè dum aliis prædicavisset, ipse reprobus fieret. Eum qui alteri prodesse studet, primam ejus curam habere debere, nè sibi noxam contrahat. Se voluptatibus, quibus deditus fuerat, minùs stimulandum, si homines fugeret, qui omnia suis commodis, vel voluptatibus ponderant. Tantum desiderium non nisi ex Deo ad cordis ostium pulsante esse posse. Domum ardere, ignem instare; & Bernardo contradicere, qui egressum fugienti prohiberet.

Episcopus nec minimùm quidem à sententiâ deste-

H xit.

xit. Quin potiùs in eâ confirmatus Rancæum monuit, Virum Ecclesiasticum indignum planè nomine, & officio, quo decoratur, nisi sic affluat pietatis visceribus, sic rore misericordiæ imbuatur, ut generosum Divinæ charitatis æmulatorem, & vitæ Ecclesiasticorum magnificum exemplar Chrysostomum imitari valeat, sæpè cum ipso ignita hæc verba proferendo: *Utinam posset fieri, ut ego pro vobis omnibus benè mererer; & meritorum bravia vos caperetis. Charitas non quærit, quæ sua sunt*; addidit Præsul: *Si propriam quisque quietem communi prætulerit utilitati; quis jam veraciter dicere poterit: mihi vivere Christus est, & mori lucrum? Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris? Is, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, etiam nunc boni, quæ te facere posse videt, invidet; & promittit dubia pro certis, ut dimittas certa pro falsis. Nec tibi conferet, quod frustrà speras; sed vult tibi auferre, quod aliquando Ecclesiæ serviens, fructuosè tenebis. Otium sanctum, juxta dictum Augustini, quærit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Prærupta saxa, abditissimæ speluncæ vestigia frequentissimè fallunt. Ubi reprehensor non timetur, securiùs accedit tentator: licentiùs iniquitas perpetratur. Te non nisi fuga è vitiis emersurum putas! Sed si mihi non credis, Cassiodoro credas asserenti, solitudinem vitia eorum, qui minùs emendati sunt, non solùm servare; sed etiam ut plurimùm exaggerare. Sæpè fit, ut omnia nobis mala solitudo persuadeat; nobisque satiùs sit cum aliis esse, quàm solos. Quid enim prodest, ut observat Ethnicus, totius Regionis silentium, si affectus fremant? Qui solus ambulat, nonnunquam aberrat. Inter multos si quis aberrat, non deest qui viam* com-

commonstret. Vitam solitariam in mediis Urbibus vives, si à terrenis affectibus vacua sit; tumultuosam in solitudine, si impotentibus animi motibus agaris. Nam, quod Gregorius dixit, qui in corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitudine: si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in Urbe. Nec est cur tibi spes profectus in via virtutis blandiatur. Multos boni majoris larva delusit. Ibi summa perfectio invenitur, ubi Dei voluntas impletur. Ad Virginem à Bernardo directum hoc tibi consilium accommoda: si de fatuis Virginibus es, congregatio tibi necessaria est; si de prudentibus, tu congregationi. Quotidie imminentia in Mundo pericula times? Erubescas Paganos conspiciens pericula fortunarum, & capitis pro salute proximi negligentes. Si in prælio stare non dubites; auxilium Domini super te de Cœlo videbis. Gratia Dei te semper præveniet, & sequetur; ac bonis operibus jugiter præstabit esse intentum. Christus, qui in certamine agonis nostri & coronat pariter, & coronatur; te proteget, ut pugnes: pugnantem roborabit, ut vincas; vincentem firmabit, ut Regno simul potiaris & triumpho.

Summo studio Præsuli Rancæus assensus esset, nisi Divinæ voluntati proprios, & alienos sensus subdendos scivisset. Fortiores erant, & suaviores ad cordis ostium impulsus, quibus se ad opus Dei segregatum sentiebat, quàm ut vellet eis resistere. Christus, qui illum in caliginoso loco volebat lucere, trahebat eum in vinculis charitatis, ut postquam in pharetrâ suâ illum abscondisset, posuissetque sicut sagittam electam in terrâ suaviter viven-

tium; daret voci ejus vocem virtutis.

Alectensi Episcopo in omnibus aliis obtemperavit: Nec ab Episcopo Convenarum dissensit; quamvis ille unicum ex omnibus beneficiis reservandum indicaret: Iste vero jugum aggravans, Religiosæ vitæ legibus, quas respuebat, vellet eum constringere. Rem istam enuntiat Convenarum Episcopus in epistolâ ad fratris filiam datâ; in quâ narrat, quòd, cùm Rancæo Institutum Monasticum proposuisset amplectendum; reposuit ipse, à cucullo Monachali se animo aversissimo esse. Nec animum inflexum demonstrasset, nisi Præsul instans subjunxisset, optimo futura cunctis exemplo ea, quæ à se dicebantur: licèt illis vim præcepti non tribueret. Existimandum autem non est, Convenarum Episcopum alligasse grave, & importabile onus, & in humeros Rancæi posuisse, quod ipse digito movere noluisset. Constat quippe Præsulem antequam amplissimam Episcopatûs dignitatem adipisceretur, viam, quam Rancæo indicabat, ingredi voluisse. Quare ad peccata referebat summam impeditionem curarum, quibus nunquam liber, tanquam impactis compedibus illigatus fuerat, & aggravatus.

CAPUT DECIMUM ET TERTIUM.

Quid de quinque famosis Jansenii propositionibus Rancæus senserit. Quàm integra semper, & impolluta fide fuerit. Quam laudanda pietate, & observantia Romanum Pontificem Vicarium Christi coluerit.

Certò habemus ab illis, qui accuratè, & sinè ullo partium studio Rancæi facta recensuerunt, ipsum egisse cum Episcopo Alectensi de subscribendâ formula à Sum-

Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. præscriptâ. Neminem latet, occasionem formulæ conficiendæ dedisse singulari audaciâ homines turbulentissimos, qui posito in Cœlum ore suo ; litigiosis distinctiunculis, stultis, & sine disciplina quæstionibus autoritatem Christi Vicarii Romani Pontificis ausu sacrilego floccipendere, & proculcare non dubitarunt. Sed non omnibus compertum est, quòd varia monimenta produnt ; & me hic indicare oportet. Nimirùm Episcopum Alectensem omni seclusâ distinctione juris, & facti; absque ullâ prorsùs conditione, explicatione, aut verborum circumscripti one, Summorum Pontificum decretis obtemperandum, formulæque subscribendum censuisse. Scio, Jansenianos prodidisse, Alectensem Episcopum in eâ sententiâ non perstitisse. Sed aliorum errata ad nos non spectant. Confirmare hoc liquidò possum, Rancæum scilicet, Præsulem secutum fuisse in viâ veritatis incedentem, sed non ab illâ deflectentem. Superbam semper eorum pertinaciam damnavit, qui seditiosò, ac turbulento animo, partium factionibus omnia replebant. Petri hereditatem solis fidem Petri tenentibus obtingere posse sciens, Deum semper toto corde precatus est, ut in animo ejus interficeret quidquid Ecclesiæ, columnæ Veritatis, Fidei depositum servanti contrarium esset.

Quodcumque in Ecclesiâ novi deprehendit, Apostolicæ fidei credidit adversum. Sed quod etiam observari desidero ; cùm à Vincentio Lirinensi didicisset, morem istum semper in Ecclesiâ viguisse, ut quò quisque foret religiosior, eò promtiùs novellis adinventionibus contrairet : Cùm ceteris benè sentientibus, seu etiam præ ceteris, cuilibet fallaciarum, & novitatum architecto sum-

summâ animi contentione restitit.

Innumera in aspectum, lucemque proferre possemus testimonia, quibus nitidissimè constaret, illum alias partes, præter eas, quæ Christi, & Ecclesiæ sunt, nunquam amplecti voluisse. Quinimmò illum se removisse ab amicitiâ quorumdam, qui summi dicebantur viri, postquàm accepisset, eos vitam ab omni nævo novitatis expertem non duxisse, & à Romano Pontifice censoriâ virgâ correptos. Sed ea in aliud tempus reservamus, accuratiùs, ut par est, discurienda.

Cùm primùm Janseniani mali erumpentem putredinem odoratus est; apertè amicis indicavit, se mirari, qui fieri posset, ut homines Theologi, universalium dogmatum antiquâ veritate dimissâ, unius hominis novicios sectarentur errores: Et omnimodam Summi Pontificis ab errore immunitatem argutiis elegantissimis, meris nugis, auderent in dubium vertere, quam omnes Catholici tot retro seculis sinè ambiguitate tenuerant. Quamobrem prudenter cum erudito Theologo observabat, eos qui sive Pontificum, seu Conciliorum diligentiam in fidei causis finiendis in dubium vocant; eos omnia Pontificum judicia, & Conciliorum infirmare. Quo nihil temerarium magìs, aut periculosiùs esse potest. Non enim homo, sed Deus id solvere, aut ligare censendus est, quod Summus Pontifex, non humanâ, sed Divinâ autoritate ligat, aut dissolvit.

Nullâ contagii Janseniani peste maculatum illum agnoscent, qui attendere voluerint ad summam, quam adhibuit per totius vitæ pœnitentis cursum, diligentiam, ad hoc, ut nullus ex suis à constitutis Patrum deviaret, & omnes rectæ fidei regulam custodirent. Nec solùm suos hor-

hortatus est, ut starent in fide, & parati essent ire cum Domino; sed etiam à pluribus accepimus, illum errantes semper ad Ecclesiam revocavisse. Obsecrando, ut pœnitentiam agerent, quâ indulgentiam possent recipere ab eo, qui ad illam præstandam paratus erat. Obturantes aures suas, & ab Ecclesiâ dilapsos dereliquisse. Nunquam ferre potuit perversitatem eorum, qui imbellium simplicitate, ad perniciem animarum abutentes, effusiori cultu verborum affectato, venenum dogmatum in auro propinare conabantur. Facientes, quod hi solent, qui parvulis austera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumliniunt, ut incauta ætas, cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. *Absit*, ajebat, *ut in rebus ab Ecclesia Romana ceterarum capite, & Magistra accuratè perpensis, & sapientissimè decretis, liberum unicuique sit habere pro voluntate sermonem. Absit*, ut Cœlo tonante, *Ranæ obstrepere, & crocitare præsumant. Exaltatio, & inflatio, & arrogans, ac superba jactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur. Deus unus est*, cum Cypriano dicebat, *& Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio Divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedendum; & sermones eorum, velut cancer, & pestis fugiendo vitandi. Præmonente Domino, & dicente: Cæci sunt, duces cæcorum.* Cæcus autem cæcus ducens *simul in foveam cadent. Nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat. Pereant sibi soli, qui perire voluerunt. Extra Ecclesiam soli remaneant, qui de Ecclesia recesserunt.* Soli cum Epi-

ſcopis non ſint, qui contra Epiſcopos rebellarunt. Conjurationis ſuæ pœnas ſoli ſubeant, qui olim ſecundùm Chriſtianorum ſuffragia, nunc ſecundùm Dei judicia, ſententiam conjurationis, & malignitatis ſuæ ſubire meruerunt.

Si ergo rem momento ſuo ponderare velimus, tantùm abeſt, ut noviciis inventis Rancæus unquam faverit; quin potiùs nullum fixit veſtigium, quo ſe ad illa aliquantulùm accedentem exhiberet. Quidquid in contrarium commenti fuerint illi, quibus omne in turbido lucrum, & conſilium erat. Ut enim ſe ſanctæ Sanctorum Patrum fidei agglutinari, & immori velle demonſtraret; nè latum quidem unguem ab oraculis Scripturarum, à ſacræ traditionis fontibus illibatis, à Summorum Pontificum, & Conciliorum decretis diſcedere viſus eſt. Graviſſimique piaculi loco duxiſſet, ſi inventis ingenii, & non traditionis, aut Scripturæ autoritate firmara eſſent ea, quæ in libris ſtatuta ſunt. Hinc rectè à nobis incolumitas ædificii præſumitur, cujus ſtatus ſubſidiis immortalibus continetur.

Præterea ab amicis audiens, viros mendaces, errores ſuos ipſius nomine nobilitare; repentè excanduit, & ſe quibuslibet, etiam duriſſimis adhibitis mediis, accinxit ad teterrimum crimen à ſe depellendum. Neque enim in ſuſpicione hæreſeos, Chriſtianum decebat eſſe patientem. Manſit apud illum fidei robur immobile; & ſtabilis, atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine, & mole obſtitit. Nec curavit unde terror, aut periculum venire poſſet, qui terroribus, & periculis vivebat obnoxius; & tamen fiebat de ipſis terroribus, ac periculis glorioſus.

Sed

Sed, quod rei caput est, supra Petram robustâ mole fundatus, summâ semper Christi Vicarium Romanum Pontificem coluit observantiâ. Quæ, quò testatior esset, & discipulorum mentibus infixa; peculiari sanxit præscripto, ut perpetuò Romanus Pontifex honorificentissimè inter illos appellaretur. Ita ut quotiescumque Pontificis, qui Ecclesiæ Romanæ clavo assideret, nomen pronunciaretur in Capitulo, ubi tantùm id contingere potest; Monachi omnes nudo capite profundè inclinarent. Sed cùm ad hujus rei tractationem, ut sumus polliciti, recurrere debeamus; Rancæi sinceræ fidei talia nos allaturos argumenta speramus, quæ omnem dubitationem tollant. Quamvis ille defensione non indigeat, quem Romani Pontifices, Purpurati Ecclesiæ Patres, viri omnium ordinum potissimi, & cuncti in Divinum cultum probè affecti, egregiis amoris, aut reverentiæ significationibus, ab omni pravâ suspicione, vel injuria sartum, tectumque voluerunt.

Non abs re fortè erit hic notare, prætet eos, qui tanti Viri nomine patrocinium erroribus humilitate, aut novitate concidentibus conciliare tentaverunt; (Quod omnibus hæreticis solemne fuisse, nullus nisi in historiæ Ecclesiasticæ notitiâ peregrinus, & hospes ignorat): Hanc labem Rancæi vitæ aspergere voluisse etiam illos, quibus paulò severiora placita grata non erant. Advertere tamen debuissent, Rancæum primò fecisse, & postea docuisse; & illud laudari Cypriani jure potuisse sibi vindicare: Philosophi non verbis, sed factis sumus. Nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus. Qui virtutum conscientiam, magis quàm jactantiam novimus. Quasi servi, & cultores Dei, patientiam (morum castimoniam) quàm magisteriis Cœlestibus discimus, obsequiis spiritualibus præbeamus.

 Ve-

Verùm austera quædam scripserit : quod nihil contra veritatem potuerit, sed pro veritate. Id non tam ejus austeritatis, quàm morbi esse putandum est. Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio : venena serpentina pelluntur antidoto. Verba sunt magni Ecclesiæ luminis Hieronymi, aliorsum quidem, sed proposito nostro maximè congruentia. Tempus est, ut de re odiosâ finem faciamus dicendi. Nè ventosâ, & enormi loquacitate fastidium afferamus pio Lectori, cujus indulgentiâ nimiùm indigemus.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

Quas tragœdias homo inimicus egerit in Rancæum, qui illis non perturbatur. Hoste triumphato, omnia pauperibus largiri constituit; nè demto quidem patrimonio: Unumque dumtaxat è beneficiis Ecclesiasticis sibi servare.

Quisquis in familiaribus Rancæi fuit, fatetur, illum virtutibus plurimis liberalitatem præposuisse. Eâ virtute nihil naturæ hominis accommodatius agnoscebat. Beneficia libentissimè serebat, etiam dum ex illis nullum se metere posse fructum intellexerat: Dummodo apud bonos, & non apud fortunatos collocarentur. Propensiori eum in calamitosos liberalitate fuisse, variis probaremus, nisi aliò properaret oratio.

Certis Autoribus comperi, Rancæum, eo etiam tempore, quo res fugaces, & caducas ardenti studio persequebatur, miseris, & laborantibus, nihil unquam denegavisse. Quod cùm notum haberet quædam muliercula; illum in via Vici, quem frequentabat, præstolata est, ut

manum ad stipem porrigeret. Rancæi mentem miseratione permovit indigentis esuries, multamque miseriam oculis ejus addidit. Quare illam remisit cubiculario famulo, quem in comitatu habebat, stipe copiosâ consolandam. Sed famulo femina doli artifex, non modò non cum precibus, sed acerbissimè, & cum clamore occurrit, se ab ipso transeunte violenter impulsam, & prostratam mentiendo. Ejulanti præsto fuit Rancæus, & cùm cognovisset, aut cognoscere se credidisset mœroris causam; duriùs correpto famulo, afflictum mulierculæ animum ab omni curâ abducere conatus est, illiusque inopiam præsenti pecuniâ sublevavit.

Vix paulò longiùs ex hoc loco processerat, cùm in mentem ejus venit, mulierculam, se prægnantem, & abortum enixam vociferasse. Eâ cogitatione Rancæum ad misericordiam alliciente, iter relegit; illamque pecuniariis subsidiis in triplum auctis immeritam recreavit. Refert etiam vitæ Rancæi Scriptor, & testis locuples Domnus Petrus le Nain Monachus Abbatiæ B. Mariæ de Trappâ, illum, antequam excitasset, atque excussisset intelligentiam suam, ut veræ sapientiæ tramitem videret, & ingrederetur, adolescentiæ hilaritatem charitate condivisse, & decorasse. Non semel visus est pauperes, & infirmos inter equitandum medio in itinere repertos equi sui tergo excipiens, illisque inserviens usque dum valetudinis integritatem obtinuissent.

Id præ Rancæi pœnitentis largitatibus, & piis operibus nullius esse momenti videtur: hinc verò facilè colligitur quantùm ad honestatem, misericordiam, & generosam beneficentiam illum natura finxisset. Diabolus, cui infinitum, & capitale cujusvis recti propositi odium est,

Rancæi ad benemerendum propensione primâ fronte usus est, ut animum meditantem à rebus omnibus solutionem, aliò traduceret. In ejus pectore improbum sui ipsius amorem suscitavit, qui,ut ab intento sacrificio illum averteret, gravitatem vehementiùs exaggeraret. Tum objectâ eâ, quâ, nudatus omnibus, aspergeretur infamiâ; Modum liberalitatis esse tenendum, & dandum, quod nec sibi, nec alteri noceret, indicavit.

Concordem eam esse Patrum omnium Ecclesiæ sententiam: Dominum nolle effundi opes, sed dispensari. Non probandam liberalitatem, vel largitatem, si quod quis largitur, aliis & præcipuè consanguineis egentibus extorqueat. Perfectam liberalitatem eam esse, quæ sinè existimationis periculo sit, & quæ fide, causâ, loco, tempore commendetur. Nullam planè ex istis legibus appositam illi, quàm secum in animis versabat. Equidem omnibus Sapientibus persuasum esse, liberalitatem ipsâ liberalitate perituram, si effusiori rerum largitione, beneficentiæ materiam omnem subtrahas. Consideratè contemplaretur,ad quas illum redactura erat angustias effrenatio impotentis animi eorum,quos consuluerat,ingredientium vias novas, Sapientium plusquam oporteret sapere, & non ad sobrietatem.Nullum unquam hominem imprudentiâ illum exsuperaturum,si se penuriâ opprimi sineret ipse, cui ad illam usq; diem sola beneficentia,& largitas fuerant voluptati.Satiùs esse minùs tribuere,quàm post nimiam largitatem, propter inopiæ, & egestatis angustias murmurare. Sæpe liberalitatem, nisi adsit modus, in exitum verti. Denique cavendum, nè beneficium majus sit facultate. Qui enim hâc in re officii fines excedat; non donare, sed projicere:nec liberalem,sed pecuniæ suæ iratum vocandum esse.

Nisi

Nisi summum in virtute robur tenuisset Rancæus, totâ re etiam tunc fluctuante, constantiam ejus tentator expugnare sine dubio potuisset: cùm patentibus vulneri partibus exploratis, in eam irrupisset, quam sensisset imbecilliorem. At Domino supponente manum suam, inimici rugientis, & ad escam præparati impetum repressit, ac fregit; iras ejus, & incussam vim ventorum excepit fortiter: & quò terroribus, & curis agitatior, eò magis inconcussus stetit, & imperterritus. Spiritu enim principali confirmatus, induerat se armaturam Dei. Ut non regeretur à Diabolo, migraverat ad lucem; gravem inimici tentationem longè graviori oratione præverterat. Galeâ tandem salutis assumtâ, & gladio spiritûs, quod est verbum Dei, per aspera itineris angusti munito pede tutus ingrediens, subditum inimici serpentis caput, ipso, quod insidiosus observaverat, calcaneo contrivit. Infirmitati voluntatis ejus ita subvenit Deus, ut quamvis infirma, nunquam tamen defecerit, neque aliquâ adversitate fuerit victa; sed invictissimè semper, quod bonum erat voluerit. Sic ad unum ex his, quos consuluerat, tunc temporis scripsit: *In cunctis protervè adversantium mihi hominum impugnationibus, id à Deo consecutus sum; ut neutiquam animo fluctuaverim circa consilia, quæ mihi ope tua dare dignatus est. Sed obfirmatiori ipsa animo sum. Et tanquam liberationis meæ tempus illud exspecto, quo mihi ab hominibus interclusos providentia Divina aperiet aditus.* Nec aculeatæ (quod observatione dignum est) de incommodis egestatis, & inopiæ minæ illum moverunt. Christi discipulorum paupertatem locupletem esse non ignorabat; quod plus sit quod habet, quàm quod non habet: nec paveat in isto Mundo indigentiâ laborare, cui donatum est

in omnium rerum Domino, omnia possidere.

Postquam ea tela retusa vidit alia in Rancæum intorquere voluit multifariè sæviens hostis. Cùm homine in Domino confidente judicavit, bellum apertè non gerendum. Sed variis experimentis cognitum habens, sæpe illos, quos duriora non vicerant, necessitudinum blandimenta flexisse; non terrore, sed affectibus, & minis amore mixtis mentem impugnavit: Eò terribilior, quò sinè gladio periculosiùs persequeretur. Eos qui Rancæo sanguinis conjunctione devincti, aut intimâ familiaritate, & officiis cum illo connexi erant, in ipsum suscitavit. Omnes adhibuit machinas ad illos graviter commovendos, ac perturbandos post audita rata, fixaque Rancæi consilia. Benè posuit operam: opus enim ex sententiâ successit. Nullus planè fuit ex Rancæo conjunctis, quem instans patrimonii distributio pauperibus, & Vereti venditio incredibili consternatione non percelleret, ac prostraret.

Deinde discusso gravi mentium stupore, qui Buttilieriæ Gentis spectatissimi erant, & quorum autoritas summi apud Rancæum ponderis erat, disertis illi significarunt verbis, in quot absurda, & incommoda eum adduceret, barbariei, quam pietati vicinior larvata virtus, à veræ Religionis legibus discedens, & honesta præscriptione rem tegens turpissimam. Omni Christiano videndum quomodo cautè ambularet, juxta consilium Apostolicum, non quasi insipiens, sed ut sapiens. Lumen illud, quod in se esse credebat, certè tenebras esse. Cùm maximæ hominum parti abdicatio beneficiorum, & Mundi fuga, capitis malè sani, & stolidè vehementis specimen esse videretur. Hinc fieri posse, ut insulsos conatus, & ab usitatâ consuetudine remotissimos vi comprimere cogerentur. Bona om-

omnia, quæ in illum Divinus amor cumulatissimè congesserat, fascinatione nugacitatis obscurant. Non damnandas divitias, sed cor divitiis appositum, quod scilicet non expendit, sed secondit. Propterea observatum ab Augustino, sublatum ab Angelo Lazarum pauperem in sinum Abrahæ divitis; quia ambo Deo divites, ambo à cupiditate pauperes erant. Habeat quis ingentes pecuniarum facultates; si in eis non extollitur, pauper est: Non habeat aliquis, & cupiat, & infletur; inter divites reprobos à Domino deputabitur: qui in corde, non in arcâ, aut in domo pauperes interrogat. Sublatâ superbiâ divitias non nocere. Nam, ut impedimenta sunt improbis; ita bonis sunt adjumenta virtutum.

Grave ergo & luctuosum esse, & esse debere cunctis, qui in ejus laudum, aut infamiæ societatem veniebant, illum fidem adjungere delirationibus quorumdam nugivendorum, conscientiarum imperium affectantium, quos fexcentis conviciis potiùs insectari debuisset. Hæc tam graviter fodicare pectus Archiepiscopi Turonensis, & animum lancinare; ut non solùm ei mortem maturare, sed omnes per mortes animam auferre viderentur. Si tamen illi fixum, & statutum esset, nudam Crucem nudè sequi; sequeretur planè prout libuisset. Se itaque omnibus spoliaret. Sed adverteret, grave illud jugum imponi non posse iis, qui illud portare nec poterant, nec debebant: & qui in pace placidissimâ quiescentes, tanto pietatis studio non flagrabant, ut omnibus nudari vellent. Ista pro fratre, & sorore ejus, & non in gratiam extraneorum dici. Ad hæc, interrogabant, num tanta esset ingeniosa, & oculata charitas ejus, ut suos, tanquam vilia mendicabula precarium ad victum auxilium in plateis quæritare pateretur?

Novam prorsus, & impiam pietatem eam esse, quæ tam inhumana, & tam ferrea suaderet. Se nolle invitum illum adducere in sententiam suam, nec judicio subdere, quod fortè amicitiæ sensus obscurabat. Verùm non esse cur fides abrogaretur omnibus Ecclesiæ Patribus, qui unâ voce monent; nunquam in liberalitate proximos seminis sui despiciendos, si egere noscantur. Melius enim est, ait unus ex illis, inquiebant, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumtum deposcere, aut postulare subsidium necessitati.

Tum denique Rancæo voluntatem obstinante, arte usi sunt; ut quem inflectere rationis pondere, minarum terroribus, & precum ambitione non potuerant, rerum tentarent affectu. Itaque consumtis jam admodùm cunctis oratoriæ artis, ingeniique subsidiis; cùm parum se promovisse intelligerent: fratrem, & sororem ejus, quos secum habebant, in conspectu illius produxerunt. Utrumque oratione flebili commendarunt, ut fractâ affectu mens ejus, tandem aliquando inclinaretur. Vehementissimâ posthàc corporis, animique contentione sic illum sunt allocuti: Sinas, ut inflexis sensibus tuis, det misericordiæ humanitati quidquid rationi fides denegaret. Nihil à te durum, nihil insolens deprecamur. Tui, tuorumque gratiâ id facias, quod plurimi etiam pro extraneis contra se in simili causâ præstarent. Nec de malè partis pauperibus restituendis animus sollicitus sit. Fratri tuo suam tibi curam pollicenti id demandare nè dubites. Ea est illius indoles, is animi candor, sic jugatæ in illo virtutes; ut accuratè sequuturus sit nutus omnes tui unius, in cujus summo cultu, & honore omnia sua studia, omnem industriam, curam denique omnem fixit, & locavit.

Quis-

Quisquis mirâ Rancæi animi altitudine non fuisset præditus, vim affectuum ægrè admodùm cohibuisset, ac vix satisfecentem retinuisset virtutem. Sed ipse altiores spiritus gerens, nihil sibi tunc humanitùs accidere cognovit. Nullâ carnis, & sanguinis consideratione, ut fatetur scribens ad quemdam Præsulem, adduci potuit, ut consilii de se beneficiis abdicando, & terrenis omnibus exuendo, eum unquàm pœniteret.

Tum præterea deprehendens hominis sententiæ, & conatibus suis obsistentes; divinitùs sibi omnia linquendi mentem injectam esse judicavit. Tantò major fiducia eum roborabat, quantò fortior illum pro veritate angustiis urgebat hominum contradictio. Sicut enim in vernali flatu arbores laxantur in folia, & fructus; sic oppugnationibus anima Rancæi ad virtutem excitabatur. Unde omni terrenorum desiderio penitùs excluso, nihil sibi in posterum ambiendum duxit, præter Christianam paupertatem, quæ verè divites facit. Secum reputabat, deceptisse multos patrimonii sui cæcum amorem. Nec ad recedendum paratos, aut expeditos esse potuisse, quos facultates suæ velut compedes ligavetant. Illa fuisse remanentibus vincula, illas catenas, quibus & virtus retardata fuerat, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa: ut serpenti terram, secundum Dei sententiam devoranti præda, & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. *Sequi Christum quomodo possunt*, frequenter dicebat cum Cypriano: *qui patrimonii vinculo detinentur? aut quomodo Cœlum petunt, & ad sublimia, & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Possidere se credunt, qui potius possidentur censûs sui servi; nec ad pecuniam suam Domini, sed magis pecuniæ mancipati.*

CAPUT DECIMUM ET QUINTUM.

Rei propositæ continuatio.

SI adversùm se solùm mala pro bonis posita Rancæus advertisset; Cùm verborum contumeliam, semper; famam verò, dum ad Divinam gloriam, aut proximi commodum non conferebat, conferet contemnendam; obmutescere, & à bonis etiam silere non dubitasset. Sed sermonibus odii circumdatos, & gratis expugnatos audiens suos per viam sapientiæ, & semitas æquitatis Ductores; suum esse existimavit, omnem ab illis injuriam propulsare. Cuncta, quæ illis autoribus, & consiliariis apud animum statuerat, rectè & necessariò sibi facienda defendendo. Omnibus blandâ, & expeditâ responsione hunc in modum occurrit. Nihil Religionis legibus, & honestati consentaneum magis esse posse, quàm si ea, quæ malis artibus collecta fuerant, restituerentur illis, quibus per summam injuriam fuerant ablata. Satis exploratè à Gallis universis perceptum, rem, & patrimonium pauperum, sacros videlicet beneficiorum Ecclesiasticorum fructus, pauperibus posthabitis, consumsisse Genitorem, sibi aliorum incommodis commoda parantem. E' memoriâ elabi neutiquam posse, quàm gravis patrem amantissimum exsecrandi facinoris Religio subisset, dum versans in extremâ vitæ luctatione, sibi jure metuendum declaraverat, nè ponderosiori æris alieni, & sacri farcinâ, quâ premebatur, in gehennam præcipitaretur. Optimè quidem duras fratris partes prædicari. Sed duriores esse suas; Cùm invitus illum, in quem suavissimè effusus erat, ad paupertatem, & sævam calamitatem depellere cogeretur. Se cogitationem

de

de patrimonio pauperibus distribuendo depositurum, inventâ aliâ ratione satisfaciendi Deo læso, pauperibus re- suâ fraudatis, & nunquam non obstrepentes sibi conscientiæ motus compescendi. Cùm verò omnes vias persequenti, alia non occurreret arripienda, se præclarâ spe sustentari, fore ut illi, qui mente liquidâ vellent res suas inspicere, æqui bonique facerent, si priùs jura sua solverentur justitiæ, quàm officia charitatis implerentur. Contingere- posse, ut nihil mali opes afferent, si honestis rationibus sint comparatæ. Sed perversum rei suæ usum, viam cunctis aperuisse ad percipiendam antiqui dicti veritatem: malè parta, malè dilabi. Sinè causâ nimiæ, & inconsideratæ largitatis pericula, & incommoda proponi sibi, cujus liberalitati nullum planè locum reliquerat necessitas quidquid obtinebat pauperibus restituendi: cui se nullo pacto subducere poterat. Commentitia sibi objici pericula; verè occultari mala, quæ sanè capiti suo impenderent, si datum de omnibus fratri credendis consilium exsequeretur.

Hìnc ad quosdam ex amicis conversus, sic eos allocutus est: *Acerbiùs à me exigitur, ut fratri meo cuncta, quæ creduntur mea, simul & curam æs alienum dissolvendi committam. Sed cur per Procuratorem id agam, quod per meipsum agere possum? Ubi res æternam salutem in- summum discrimen adducit, delegationem non recipit. Nunc eò loci res meæ deductæ sunt, ut debitor sim Deo, & hominibus. Deo, qui ut Isayas admonet, indutus est vestimentis ultionis, & opertus est, quasi pallio zeli. Hominibus, iisque egenis, quorum silentium quocumque sermone eloquentius, injuriarum, fraudis, & damni persequentissimum est. Quis præstare mihi potest, improvisa- morte in me ingruente, omnia mandata mea à fratre ex-*

bauriendæ? Quod si vestigiis plurimorum ex Nobilibus ingrediens datam fidem, & sacra negligeret, quis mihi non succenseret, quod ea in me admisissem, quæ à verecundo inimico non possem audire? Quis à me amolivetur culpam, quam sustinerem, quòd commisissem aliis, ea quæ ego ipse meliùs, & faciliùs expedissem? Nonne jus suum in die Domini magna persequerentur egentes? Et quamvis Rex justitiæ Christus Deus noster, cujus oculi in pauperem respiciunt, ad illam usque diem taceret, dissimularet, patiens esset: Nonne tunc sicut parturiens loqueretur? Sicut fortis egrederetur, sicut vir præliator suscitaret zelum: Vociferaretur, & clamaret; super me tanquam super inimicum suam confortaretur: dissiparet, & absorberet simul? Qua ratione horrenda declinare possem supplicia, quæ illis denunciat Isayas Propheta, quos cùm elegisset Dominus ut sanctificarent eum, & magnificarent legem, & extollerent; noluerunt in viis ejus ambulare: Facti sunt in rapinam, nec erat qui erueret; In direptionem, nec erat qui diceret: reddite? Qui dum filii lucis esse debuissent, seculi filiis longè imprudentiores fuerunt. Omne itaque avertat à me Deus desiderium eorum, qua me non secundùm spiritum ambulantem, sapientia carnis inimica Deo subjiciant. Quæ causa est, cur filiis hominum tot inanes capientibus labores ad venanda commoda horæ momento defluentia; ego levi me cura, leviorique labore liberem, cujus fructum maximum, æternam nimirum Beatitatem me capturum spero? sic tandem dicendi finem fecit. *Hominum multitudini cogitata mea non probari declaratis. Sed Mundus abundat malitia: in his, quæ Dei sunt, consilio & ratione deficitur. Unde nequeo satis mirari rationem illorum, qui mihi imperita hominum turba autoritatem*

in-

intolerantiùs prædicantes, caput obtundunt. Est herclè inepta, atque absurda. Quid enim absurdius esse potest, quàm si contendas, ut arbitrio Mundi ponentis in Cœlum os suum, & in sancta consilia virus acerbitatis evomentis, consilia mea permittam? An in sanctitatis opere aliquid illi tribuam, cujus judicio in nulla planè re standum ipsi etiam Ethnici voluerunt? Atqui illa, quam linquere volo via tritissima, & celeberrima est. Ideò maximè decipit.

Nihil mihi magis præstandum est, quam ne pergam, non quà eundum est, sed quà itur. Non ad similitudinem, aut ad rumorem, sed ad rationem, & virtutem vivere, & componi debeo. Versat nos, & præcipitat traditus per manus error; alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si separemur à cœtu. Cùm de Beata vita agitur, ut Christianè prosequitur Ethnicus, non est quod mihi illud discessionum more respondeas: Hæc major pars esse videtur. Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum. Et quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat: Non quid vulgo pessimo veritatis interpreti probatum sit. Minæ nihil admodum terrere, aut morari me possunt. Nulla quippe minantis autoritas apud liberum, & ingenuum est.

Sic planè se Rancæus evolvit è turbis, quas in ruinam ejus conjurantes Mundus, Dæmon, & caro simul in eum concitaverant. Quamvis Religiosæ pietatis oracula Mundo duriora videantur, nec rationi amicæ sensuum arrideant; tanta tamen in illis virtutis, & æquitatis effigies eminet, ut quisquis præjudicia deposuerit, viro illa proferenti nequeat reclamare. Rem prorsus ita se habere, tunc Rancæus explanatè cognovit. Prudentiæ carnis, quæ

quæ mors est, argumenta ejus adversabantur. Verùm illorum impeditissima responsio erat. Unde hùc omnia reciderunt, ut ab eo enixè poscerent amici, conscientiæ stimulis ad omnia vendenda illum adigentibus, ut unum è consanguineis Vereti esse sineret emtorem; affirmando damni nihil indè pauperes facturos: cùm consanguineo tantidem, atque extraneo splendidissimam Villam venditurus esset. Rancæus, cui omnia carnem, & sanguinem redolentia suspecta erant, timens nè sui id à se desiderarent, sive ut ducendo tempus commodis consulerent, sive ut quid implexi clandestinis machinarentur artibus: ægrè adductus est, ut assentiretur. Sed cùm rectam ipsorum mentem, & cogitationem fuisset assequutus, libenter acquievit, dummodo fide, & promisso stare vellent.

Quidquid optimæ æstimationis emtori amicitiâ, & sanguine conjunctissimo Rancæus concessit; ex incredibili quantociùs pauperes ditandi paupertate suâ, desiderio prodiit. Dignum sanè spectaculum illud erat, ad quod Angeli, & homines attenderent. Usque adeò enim Christianæ militiæ candidatus, postquam veteres exuisset affectus, novos induerat; ut nihil sibi præter seipsum, & suos putaret extraneos. Licitationem cum suis faciebat Rancæus, quasi sibi peregrini, nec de facie quidem cogniti essent; in gratiam pauperum, quos sibi in domesticos, & familiares elegerat. Quâ de causâ summâ cum laude dignum existimo. Nam in domo Dei, cujus nomen laudant pauper, & inops, & cujus spiritu Rancæus agebatur, nemo est extraneus, & peregrinus, nemo hospes & advena; sed omnes sunt cives Sanctorum, & domestici Dei. Labente pecuniæ die, Rancæus ab omni cunctatione aversus in eo, quod laudari non poterat, nisi peractum; numeratò solvi voluit.

Ve-

Verceo eâ ipsâ perfectæ solutionis horâ velocius aufugit, quàm Abbas D'Effiat emtor in lautè ædificatum palatium pedem intulerit. Nec aliud indè abstulit præter summam ex nimium dilatâ possessione molestiam. Hinc, ut terrenorum omnium, quæ ludibrio, & despicatui habebat, jugum faciliùs excuteret; omni cogitatione, & curâ incubuit in superandas difficultates, in quas quisquis magna molitur, solet incurrere.

CAPUT DECIMUM ET SEXTUM.

Varias init vias Rancæus, ut cogitata perficere, & nodos omnes solvere possit.

Etiamsi negotii pauperum optimè gerens Rancæus, curam omnem, & industriam adhiberet, ut illis celerrimâ patrimonii venditione satisfaceret; improvisis, ideoque gravioribus irretitus est impedimentis. Adeò verum est, terrenam substantiam pondus esse, non subsidium. Tantam ex iis ægritudinem traxit, ut arbitratus fuerit Divinæ voluntati se repugnasse. *Usque adeò*, inquit ad virum amicum scribens, *consiliis meis omnia contraria sunt, & ad Divinam, in illis, quæ mihi adversantur, tam parùm me conformo voluntatem; ut ob aliud in Mundo esse non videar, nisi ut ad meum, non ad Dei vivam arbitrium. Interea perspicuè video, omnino Deum velle, ut ubique angustiis urgear, omnia fiant perdifficiliter, & molestè; & gravissimè prober, antequam ea compleat, in quorum cogitationem, sola misericordiâ motus, me deduxit. Momenta singulis emergentia adversa mihi incommodæ, quæ ad consilia perficienda viam obstruunt, manifestè nimium ostendunt mihi pondus naturæ meæ sub manu Dei exer-*

exercitatione defatigatæ, & fractæ: dum in omnibus rerum meorum moderatricem ejus sapientiam pie, & augustè venerari, illique penitùs me committere deberem. Hæc sub idem tempus ad alium scripsit: *Novis me certè curis exercitatum vult Deus. Graves excipiunt graviores: & tempus ætatis meæ teritur eo modo, quo menti, & consiliis meis nihil contrarium magis esse potest. Quotidianis laudibus orno felicitatem illorum, quibus nihil negotii, nec opum est. Bona pars eorum; qui in illo sunt statu, quàm præclarè cùm illis Deus egerit, ignorant.* Ad minores objectum se non vidit casus, cùm Ecclesiastica beneficia dimittere voluit. Ut enim agnati noverunt, nihil efficacitatis habere quidquid Ranczo in gratiam suipsius suadere studuerant: Rationem, & æquitatem præscribere declararunt, ut saltèm beneficia deponendo, haberet delectum familiaris, & peregrini. Illum differri non posse, multos ex suis, merito eorum amandos plurimùm; quorum præclara virtus, quovis munere, præmio, ac laude digna esset. Non spernendo ipsi prælucere exemplo Turonensem Archiepiscopum, qui, si daretur optio, nunquam extra familiam sibi quæreret successorem. Inofficiosum itaque, & ingratum ipsum fore, si alium præter Archiepiscopum Turonensem, aut unum è suis, obtinere linquenda beneficia vellet.

Rancæus ea non responso, immò nè attenta quidem cogitatione dignatus est. Amandos siquidem sciebat consanguineos, sed præponendum Creatorem Redemtorem, ob cujus amorem non solùm agnati omnes negligendi, sed Patris etiam omittenda cura esset, & sepultura. Sæpe odium in suos, quoddam genus pietatis esse. Debita pietatis exercitia, nullà impediri consanguinitate debere.

Quam-

Quamdiù enim de Mundo sumus, ut disertè monet Bernardus, debitores nos constat esse parentum, & consanguineorum. At postquam reliquimus nosmetipsos, multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus.

In hunc ferè modum eos excepit, qui ad beneficia adipiscenda mutuam amicitiam pro summo, & unico jure proferebant. Non enim se, vel sua; sed quæ Dei, justitiæ, & probitatis erant, Rancæus quærebat. Quas sibi inter hæc peperêre sollicitudines consanguinei toto pectore ad illum remorandum incumbentes, Rancæus curdam arcanorum participi per literas significavit: *Ætatem*, inquit, *in negotiis exerceo, quorum nondum exitum evolvere potui. Nunquam à molestis difficultatibus vacuus fuim. Unius ex Abbatiis meis abdicationem admittere Rex recusavit. Adoranda mihi est providentia me in eo statu linquens, quem semper tanquam summam miseriam existimavi. Tantum mihi Lutetiæ odium est, ut nunquam majus fuerit; & nihil mihi æquo animo ferendum exhibet. Ut hominum sunt mores, intolerandus Mundus est. Stupesceres, si tibi exploratum esset, quanta cum repugnantia illum videam. Nihil in illo malitia vacat. Cuncta consilia cupiditate, & utilitate definiunt homines. Et re vera vitam in Mundo cum sinceritate colere impossibile fermè est. Leve, & inane est, quod deserunt illi, qui ab eo secedunt; quibus nimium desertionis in hac etiam vita propositum præmium est, sine imquorum consortio vivere.*

Rebus eò redactis, ut obtinendi Regii cõsensus, & libertatis filiorum Dei recuperandæ nulla Rancæo spes affulgeret; negotium ad exitum perducendi rationem ultimam excogitavit. Nimirùm sibi investigandum credidit, quid causæ esset, cur à Rege repulsam in re beneficiorum ferret? Post-

quam multùm operæ, ac laboris consumsisset; universa illi tandem patefecit unus ex iis, qui Regi à sanctioribus consiliis erant. Illius operâ liquidò cognovit, interpellatorem intercedere virum maximum, suique ordinis spectatissimum, qui eâ in re mirabiles sibi proponebat utilitates Ecclesiæ Gallicanæ, quas Rancæum omittere sinè piaculo non posse putaverat. Id Rancæo novum prorsùs accidit. Nemo etenim ipsi favebat apertiùs, studebatque, quàm vir ille summus à quo se retardatum audiebat. Exemplò convenit ipsum, quem tantùm reperit à consiliis abhorrentem, quantùm sibi semper in omnibus aliis conjunctum invenerat. Vix rem à principio Rancæus aperuerat, cùm ille omnes reponendi ansas eripere volens, cordatè dixit: *Dolendam Ecclesiæ vicem, si quisquis rectum vitæ cursum tenere vellet, aut primæ vitæ acta retexere, non vereretur dare se in fugam, & sponsam Christi, fidelium matrem, obsequio debito fraudare. Nec minùs iniquè comparatum esse, si illi qui Divini cultus studiosi essent, operam generi hominum accommodare detrectarent.*

Inexpertum nihil omisit Rancæus, ut ad suam illum sententiam induceret. Memoriam refricuit eorum, quæ Summi Pontifices, & Concilia edixerant in illos, qui sinè causâ, & legitimo legum laxamento, varia, & opima beneficia nanciscebantur. Quosdam Doctores eò rigoris processisse dixit, ut multiplicium beneficiorum hujuscemodi ab uno possessionem, naturæ juri contrariam pronunciavissent. Nihil planè promovit. Se enim nec ratione inflecti passus est, nec precibus cessit amicus. Ad eam quippe, in quâ erat, sententiam de universis casibus, auctoritatibus, & momentis, Ecclesiæ utilitati, aut necessitati postponendis, accedebat ut à Rancæo dissentiret de impossibili-

pie-

pietatis, & beneficiorum eorum, quæ simplicia vocantur, societate.

Itaque sine ullis simulationum involucris illi denunciavit, se illum acerbè insectaturum, donec incœpto destitisset. Tam longè se abesse à consilio suffragandi jam obtentorum beneficiorum abdicationi, ut potiùs se optimè de Ecclesiâ, & Clero Gallicano meriturum crederet, si illum in altissimis collocaret dignitatum gradibus, & nova ipsi beneficia Ecclesiastica à Summo Pontifice, & à Rege conferri curaret. Equidem se sic apud animum suum statuisse, improbum hominem beneficium unicum consequentem, alterâ parte magis obtinere, quàm mereatur: probo verò è sexcentis pinguioribus simul adeptis, nec unum quidem superfluere.

Extra dubium est, judicium illud ex præjudicatâ opinione ortum, à communi loquendi more, & à Rancæi mente remotissimum fuisse. Nullum tamen ad amicum de suâ sententiâ detrudendum, promum iter Rancæo linquebat. Ubi homo, in quo summa est autoritas, & amplitudo cogitationes suas ad Divini cultûs, decoris Ecclesiæ, aut boni publici incrementum refert, vel referre se putat; nunquam se sinit exorari.

Rancæus timens, nè sibi eum graviora momenta magis facerent repugnantem, cùm paululum obmutuisset modestè istud responsum retulit: Solitudinem sibi necessariam esse. Se nihil in se reperire, quod nè minimam quidem, nedùm summam exspectationem sui posset commovere. Quemcumque in eam deduxisset benevolentia, eâdem deferendum, ubi vires ingenii fuisset periclitatus. Se sui judicium rectæ permittere conscientiæ, à quâ transversum unguem discedere non poterat. Ejus ad extremum mise-

ricordiam supplex requirens, enixè postulavit, ut daret amicitiæ, quod precibus, & rationi negaverat. Incredibila refero, vera tamen eloquor. Studium Divini cultûs, diversis, sed miris modis Rancæum in semetipsum, amicum Rancæi in Rancæum ipsum ita concitavit, ut neuter victor abierit. Nihil aliud ab illo, ut sæpè sæpiùs fassus est, Rancæus omnibus extorsit artibus, nisi ut austerâ fronte, ac molestè polliceretur, se illius causâ â primâ sanctioris consilii convocatione absuturum. Quippe si interesset, se discessurum arbitraretur â dignitate Sapientis, Consiliarii Regii, & Christiani, nisi in ore, atque in oculis omnium, consiliis indomiti, & præcipitis ingenii refragaretur. Sic ergo disponeret omnia, rem ut perficeret. In irritum eâ die conatu recidente, spem omnem, prout animo destinaverat, in posterum è negotiis emergendi deponeret.

CAPUT DECIMUM ET SEPTIMUM.

Quod decreverat Rancæus exequitur. Nihil ex omnibus sibi servat præter Abbatiam Monasterii Beatæ Mariæ Domus Dei de Trappa.

IMpar est oratio exprimendis variis fluctuantis animi Rancæi sensibus hoc responso excitatis. Ut temporis opportunitatem sapientiùs sequeretur, ad diurna perpetuæ charitatis officia, nocturnas adjunxit preces; à quibus tantùm supersedit, dum confidere potuit, in flexum Omnipotentem in die tribulationis compeditum, & rugientem â gemitu cordis sui exaudivisse. Tantam illi gratiam in oculis Regis, & Aulæ Procerum Deus dedit, ut ad beneficia Ecclesiastica deferenda, & alia committenda consensum Re-

gium

gium impetraverit. Tunc præ gaudio lacrymas non tenens, conversus est ad Deum, cui summas gratias egit dicens: *Benedictus es Domine Deus, qui consolans me, & magnificè mecum faciens, vincula mea dirupisti, & dissolvisti manus meas. Suscipe me nunc secundùm eloquium tuum: & non confundas me ab expectatione mea. Adjuva me, ut ferar ad perfectiora Deus Israël, cujus perfecta sunt opera. Velle quidem adjacet mihi, sed perficere non invenıam, nisi tu adjuvans incredulitatem meam, perficere simul cùm velle operari digneris. Unum rogo te, antequam verè viam quam ingressus sum decurram, nè deneges mihi: ut, postquam sivisti, ut irem in adinventionibus meis; in tenebris, & secundùm desideria cordis mei ambularem: non permittas me in posterum à te separari. Sic rebellem meam ad te compellas voluntatem, ut te incrementa frugum mearum auxisse, inter oves dexteræ tua aggregatus, perpetuò valeam gloriari. Justum est, ut relictis omnibus te solum sequar, te solum amem, quis solus me ad te amandum creare potuisti. O lux, qua illuminat omnia simul, & semper, absorbe me in charitatis abyssum, ut videam undique te in te, & cuncta sub te. Fac ut nullam contraham pacem cum corpore, quod receptaculum sordium, sentina flagitiorum, seminarium voluptatum est: Et animum, qui imago tui est, & sacrarium virtutum, tuique sedes esse debuisset, plerumque à te avertit. Habes, Domine, confitentem reum. Novi quòd nisi dimittas, justè ego pereo. Præsta, Pater Omnipotens, sinè merito, quod rogo, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent.*

Quietâ posthâc mente consistere non potuit, usque dum hominibus secundùm cor suum beneficia distribuisset. Nullâ amicitiæ, carnis, sanguinis, vel gratiæ habitâ ratione,

tione, ea contulit viris sic ad omne Ecclesiastici officii munus instructis, ut absque præcipuo Dei auxilio Rancæum eo modo non dispofuisse, eventus declaraverit. Præterire non possum, quin observem, omnes ferè à Rancæo electos, observantiam Regularem in locis eorum curæ commissis restaurasse. Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Valle Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Diœcesis Bajocensis præfectus est vir nobilis, qui, aulâ relictâ, austeriori vitæ securiorique præluserat, majoribusque suis virtute suâ prælucebat. Beneficiorum unum detulit Abbati Barilion, qui cùm postmodùm Episcopus Lucionensis à Rege renunciatus esset, eodem loci, & temporis vestigio acceptum à Rancæo beneficium deposuit. Ut illius, cujus beneficentiam, & liberalitatem fuerat expertus, memoriam, posteris egregiâ virtutis æmulatione proderet.

Abbatiam S. Symphoriani Bellovacensis adipisci voluit Virum Ecclesiasticum, in quo erant plurimæ literæ; nec eæ vulgares, sed interiores, & reconditæ. Hunc semper observantiâ summâ coluerat Rancæus, quod artibus, & disciplinâ ab ipso ad humanitatem, & sapientiam fuisset informatus. Nullum hominum deprehendes ad benemerendi usum Rancæo peritiorem. Leviori muneri splendorem maximum, venustatem, & gratiam conciliabat. Beneficium Præceptori eo modo largitus est, quo illud alius accepisset. Unis, & alteris literis munus verbis ornavit. Significanter, quantùm in ipso fuit, de illius pretio detraxit. Rei parvitatem vix æquantem debitorum minimum excusatione paupertatis defendit; & grato, ac propenso in eum animo nullatenus satisfacere testatus est. In perpetuum tandem se illi obstrictum fore declaravit, quod monumentum, & pignus amoris non repudiaset.

Unam

Unam sibi Abbatiam Monasterii B. Mariæ Domûs Dei de Trappâ Ordinis Cisterciensis servavit. Non quod illi in animo esset, vitam absconditam cum Christo in Deo ibi produceret: sed ut cum Salvatore consepultus per pœnitentiam in mortem, citiùs peccati corpus in horroris loco destrueret. Ab omni curatione, & administratione proventuum Ecclesiasticorum, & secularium vacans, circa id tempus in cœlestes thesauros quadringentarum millies librarum patrimonium per manus pauperum transmisit. Lætans, quòd jure optimo sibi liceret cum Ignatio Martyre dicere: *Jam Christi incipio esse discipulus, nihil eorum, quæ sunt in Mundo desiderans.* Germanum fratrem, sororem, & famulos inter largiendum solâ paupertate commendatos habuit: Et cum ipsis summo jure, veluti cum plebeis pauperibus egit. Cum ære alieno liber semper fuisset, præter Nobilium consuetudinem; illud quo Pater oppressus obierat, dissolvit. Ut mediocritatem in rebus omnibus tueretur, dimissâ familiâ, binis famulis contentus fuit; quorum unus vestigiis ejus instans, Instituti Monastici in Monasterio Beatæ Mariæ de Trappâ disciplinam amplexus est: ibique eam tenuit vitæ rationem, quam omnes approbaverint, summisque laudibus exceperint.

Mundus diligens vanitatem, mendacium quærens, appetens transeuntia, & cum transeuntibus transire nolens, ad studia perfectissimæ virtutis Rancæum incumbentem irrisit. Multi eorum, quos Rancæus non locum solùm, sed mores mutando, abjectis terrenorum desideriis, perstringebat, in frigidis, ac jejunis calumniis illi impositis deliruêre. Alii impotentiùs dictis ipsum lacessentes, asserverunt, flebilem eum esse severioris moralis victimam. Longè majora ab hominibus illum requirere, quàm exigat Deus ipse, cujus

jugum suave, onus leve, & rationabile obsequium est. Nec defuêre, qui dicerent, eum sic in rem stultè effusum, in suos, & in seipsum furere, quod incertis terroribus, & somnis lymphatum penitùs eum mente deturbassent homines alligantes onera gravia, & importabilia. Nec mirum. Gravis quippe illis erat Rancæus etiam ad videndum; quoniam dissimilis erat aliis vita illius, & immutatæ erant viæ ejus. Ægrè ferebant, illum abstinere se à viis eorum, tanquam ab immunditiis, & præferre novissima justorum. Luculentoque Rancæi dicto fidem faciebant: nemini unquam probata fuisse recta, à quibus pravis moribus removebatur.

At verò Rancæus observans, hujusmodi nugatores ideò sic garrire, quod ultra nasum non desigerent oculos; quod malitiâ excæcati nescirent sacramenta Dei, mercedem justitiæ non sperarent; nec satis perciperent, Christianum ambire terrena, retinere labentia, stare in non stantibus non posse: dum aliis plus æquo strictior, sibi laxior videbatur. Cuncta licèt pauperibus erogasset, sibi non satisfaciebat; quòd metueret, nè præter omnia, aliquid sibi deferendum superesset. Tantùm abest, ut sibi ipsi blandiretur, tanquam aliquid Deo dignum pauperibus obtulisset: quia potiùs omnis illius ratio, actio, cogitatio nihil aliud erat nisi constans, ac perpetua commemoratio beneficiorum Dei, cui totum reddiderat, quod totum ab illo acceperat, nec reddendo perderet, sed augeret. Sacrificium laudis illi offerebat, quod dirupisset vincula asperitatem habentia veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluntatem: durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseræ, spem Beatitudinis inanem.

His de rebus animi sensus exprimens Rancæus in unâ

unâ è relatis epistolis hæc scribit: *Cùm ea, quæ desero, & externæ molestiæ liberatio leviora vitæ meæ sint vincula, agnosco am necesse est, me à meipso separari non posse: Miserior hactenùs non fui, quàm nunc sim*. Unde & ad emergendum ex illo statu, precum subsidium flagitat. Sic humillimè, & sincerè loquitur, & de se ipso Rancæus sentit; Dum præclaris confectis operibus, manus mittit ad fortiora, & ad summa contendit. Dum splendidæ famæ præfert abjectionem domûs Dei; terrenis divitiis, christianam paupertatem: Aulæ deliciis, aspera insaluberrimæ palustris, nudæque solitudinis. Animum in primis ad se refert, & colligit, ut miserias, & in via Dei paupertatem videat, ponderet, confiteatur, malisque propriis ingemiscat.

Laudabat olim Bernardus Attonem Trecensem Episcopum, qui in morbo mortem cogitans omnia sua pauperibus erogaverat. *Cur denique*, inquiebat Doctor Mellifluus, *dignus meis laudibus non erit, quem sui quoque nominis Deus laude dignatur; Dicente David: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum? Laudatur Job, quod sua patienter amisit; & non laudabitur Episcopus, qui & libenter dimisit, & liberaliter distribuit? Non exspectavit mortem, quando jam nec dare, nec retinere in sua haberet potestate: quod utique multi faciunt, quorum videlicet testamentum non nisi in mortuis confirmatur. Sed adhuc inter spem vitæ, metumque positus mortis vivens, libensque dispersit, & dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi. Numquid & pecunia mansura similiter erat in sæculum sæculi?*

Quibus autem sententiis Sanctissimus Doctor ornasset Virum, qui constanti, & firmata ætate, nullo corre-

M ptus

ptus morbo, ſed commodâ utens valetudine, omnia deſerens, ſcipſum inter linquenda numerare meminiſſet? Illum certè oratione, prædicatione ubique ſummis laudibus extuliſſet ad cœlum. Idem & nos efficeremus, niſi perſuaſiſſimum nobis eſſet, alieno præconio non egere eum, cui ad adhibitam magnificentiam, & rerum humanarum deſpicientiam, acceſſerunt omnia, quæ conſequi virtute, ingenio, aut uſu homines, aut ſapientiâ poſſunt.

GENUINUS CHARACTER
Reverendi admodum in CHRISTO Patris

DOMNI ARMANDI JO: BUTTILIERII RANCÆI.

Liber Secundus

CAPUT PRIMUM.

Antiquæ Monachorum Abbatiæ Beatæ Mariæ Domus Dei de Trappa virtus & sanctitas, à qua laxissimè distant Rancæo coævi Monachi. Hinc flexa, & exoleta in rectum revocaturus eos pertentat Rancæus. At illi ostentatis tum pacis, tum terroris irritamentis frontem obducunt, Rancæo diras imprecantur, & ad omnia obdurescentem animum exhibent. Præclarum Viri verè Nobilis facinus. Rancæus gratum se præstat, & invictum.

 Inter

INTER innumera, quæ Monachorum Abbatiæ Beatæ Mariæ Domûs Dei de Trappâ virtutis memoriam prodsão, eximium illud est, quod in Ecclesiæ Sagiensis Tabulatio circa annum reparatæ salutis 1390. luculentis exstat literis, hoc pacto:

Monumentum Sanctitatis Monachorum Beatæ Mariæ domus Dei de Trappa.

NOtum facimus, quòd nos informati sumus sufficienter de miserabili statu, & paupertate Venerabilis in Christo Patris Domini Abbatis Abbatiæ de Trappâ Cisterciensis Ordinis, Sagiensis Diœcesis, & modicitate fructuum dictæ suæ Abbatiæ, quæ inter nemora, & super agricultis consistit; & sicut reperivimus per Anglicos, & gentes armorum, ac alia infortunia adeò redacta extitit, quòd ipse Abbas cum quindecim Religiosis Deo, & Ecclesiæ famulantibus, & moram ibidem facientibus continuam, nisi de laboribus manuum suarum vitam, & necessaria sibi acquirerent, de omnibus, & singulis fructibus, & emolumentis ad eamdem Abbatiam spectantibus minimè quirent sustentari. Datum Sagii die 21. mensis Junii anno Domini 1390.

Quandiù Trappensibus Monachis mens ea perstitit, præceptis Roberti, Alberici, Stephani, Bernardi, Serlonii, Adami, ceterorumque majorum, quibus imbuti erant, firmiter inhærendi. Christi bonus odor, gratumque Deo, Angelis, & hominibus spectaculum facti sunt. At postquam conditione rerum humanarum in præceps ruentium,

ve-

vetustiora periêre vestigia sanctitatis, & multa ad adipiscendam cœlestem sapientiam instrumenta; Monachi abalienati sunt in confusionem, & eò tandem res redactæ erant, dum Rancæus unum sibi Monasterium Trappense delegit: ut sacratiores, quos posuerant Patres, terminos transire non vererentur. Quo fiebat, ut Domino effundente iram, & indignationem in domum sacram, quæ sordibus polluta erat, verè in eâ complerentur, quæ olim altè, & obscurè per Prophetam spiritus Domini fuerat locutus: *Et possidebunt illam onocrotalus, & ericius; ibis & corvus habitabunt in ea: & extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Nobiles ejus non erunt ibi. Et orientur spinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus. Et erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem; ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati sunt milvi alter ad alterum.* Sacris iis verborum involucris obtegendos ducimus facinorum acervos, quos in Monasterio Trappensi Rancæus reperit. Nè Religionis causam, cui prodesse volumus, nimiâ & intempestivâ sinceritate prodere videamur.

Ut primùm vulnerum altitudinem patienter Rancæus exploravit; lenia, lentaque remedia, quibus per dies aliquot usus erat, malorum fomenta magis esse, & incitabula perspexit. Quare, cùm experientiâ didicisset, morbos veteres, & diù auctos, nisi per dura, & aspera coërceri non posse: eam medicinam adhibere constituit, cujus magnitudini, mali magnitudo concederet. Fervidissimo ergo zelo indutus, quem charitas inflammabat, informabat

bat scientia, constantia fulciebat: incuriosis & inertibus Monachis denunciavit, ut locum, aut mores sibi mutandos esse scirent. Placidè recedentibus in otia tuta, certam spem futuri subsidii; contumacibus, minas & terrorem: pœnitentibus verò, portum optimum, disciplinam nempè regularem brevi in Monasterium introducendam objecit.

Mirum, quàm intolerabiliter vocem Rancæi suis auribus intonuisse acti rabie, & perstreperes Monachi demonstraverint. Tunc omne virus acerbitatis, & intimum odium ad illam usque diem occultum erupit. Exhaustâ planè verborum atrocitate, se illi ad omne facinus paratos exhibuerunt, districtis in eum pugionibus minitantes, ultima se in eum experturos, nisi pacem, & voluptates eorum ingratis rumoribus obturbare desineret. Eò insolentiæ, & temeritatis processerunt, ut in ignominiis omnibus, quibus Abbatem appetere non dubitaverant, apud vicinos gloriarentur. Nec dissimularunt, se vix comprimi, quin ipsi, sæpiùs intentato gladio, jugulum perfoderent, aut saltèm in eum involarent.

Dici non potest, quantus terror ceperit eos, quibus flagitiosissima Monachorum, & Rancæi flagrantior agendi ratio erat explorata. Variis ipsi suadere tentaverunt modis, ut circumspiceret omnes procellas, quæ impendebant, easque à capite suo quamprimùm prudenti consilii mutatione averteret. Tempori cedere semper Sapientis habitum esse monuerunt. Sæpè honestas rerum causas, ni judicium adhibeas perniciosos exitus consequi: & manifestæ imprudentiæ notâ inurendum eum esse, qui id experiatur, quod se assequi posse diffidat. Saluberrimus hisce monitis plurimi rei novitate perculsi Rancæum in summo versantem discrimine juvarunt; Nihil planè se in gratiam ejus

mo-

moliri posse nunciantes, quod in se Monachos omnium scelerum maculis notatissimos convertere nollent. Tanta erat injecta omnium mentibus Trappensium Monachorum formido!

Unus inter omnes visus est vir bellicâ laude, & nobilitate egregius, qui Rancæi periclitantis subsidio proficisceretur. Quamvis enim illi Abbas solâ virtute, & periculis esset commendatus, re eum, non consilio censuit juvandum. Omissâ verborum officiosâ urbanitate, Rancæo dixit illicò vir nobilis ardens iracundiâ bellatrici, ipsum graviter allucinari, si Monachorum, quibus in figurâ hominis feritas belluæ, pertinaciam virtute vincendam speraret: aliam planè rationem ineundam esse ad infringendum animum gentis effrenatæ, cui una in audaciâ spes salutis. Nec consulto, sed facto opus esse, ubi cùm iis ageretur, quibus nullum ad nocendum tempus esset angustum. Se ideò ad illum advolasse, ut efficacissimos indicaret modos, quibus protervi Monachi æquo, ac bono submitterentur.

Cùm in dicendo effervesceret, Rancæus intelligens, virum bellatorem arma velle porrigere, à quibus summè alienus erat; perhumaniter illi grates habuit, quod sic pro eo dignaretur eniti. Sed Dei famulorum non esse declaravit, talia experiri; quibus Deo se sinaque committere, illi soli adhærere, vincere malum in bono Religio esse debebat.

Audita hæc valdè probata sunt viro nobili, qui se mirum in modum iis commotum esse non semel posteà testatus est. In Villam redit, in quâ solebat hiemare, piæ & generosæ indolis æternum relinquens in hominum sermone monimentum. Quem enim, quæso, reperies militarem hominem fovendæ pacis studiosum? Quot potius audien-

dientes, Monachos ab Abbate capitali odio diffidere; aut nudatâ propalàm eorum infamiâ, aut congestis in eos mordacibus probris, & conviciis, sceleri scelus ingessissent?

CAPUT SECUNDUM.

Placidè toleratis Monachorum animi æstibus, & morositate, illos tandem Rancæus coërcet. Consilium de introducenda in Monasterium Regulari disciplina ad optatum deducit finem. E' gravi periculo à Deo eripitur. Religiosum amplectitur Institutum.

IN his res erat angustiis, Monachis pravitatis suæ retinentibus perseverantiam, & contra Rancæum, cujus amoris, & benevolentiæ argumentis à peccatis avocari debuissent, potiùs pertendentibus, cùm Deus hunc illi dedit animum, ut aliâ planè viâ negotium aggrederetur. Itaque miscens temporibus tempora, blandimentis terrores, Monachos postremùm coëgit. Et postquam illis demonstravit, se non modò, juxta præceptum Apostolicum, illos arguisse, increpuisse, obsecrasse in omni patientiâ, & doctrinâ; sed etiam juxta Divi Benedicti præscriptum, morbidis eorum actibus universam curam multoties exhibuisse: Deum hominesque patientiæ suæ, eorumque pervicaciæ testes adhibere non dubitavit.

Erectis deinde ad Cœlum ardentibus oculis: *Tu scis, Domine*, inquit, *justitiam tuam me non abscondisse in corde meo, veritatem, & salutare tuum dixisse; ipsos autem contemnentes sprevisse me, & mandata tua protrivisse. Quid superest, cùm me non non audierint, nec eos; quos in pertinaces adhiberi jussisti, nisi ut Ecclesiæ, ejusque Primogenito dicam, filios quos enutrivisti, & exalta-*

sti,

sti, te dementissime dereliquisse, blasphemasse Sanctum Israël, sicut aspides surdas obturantes aures suas retrorsum abalienatos fuisse? Omne caput eorum languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem capitis non esse in eis sanitatem. Vulnus, & livorem, & plagam tumentem non esse circumligatam, nec curatam medicamine, neque fotam oleo: terramque eorum desolatam esse, sicut in vastitate hostili.

Monachi audito sacro Ecclesiæ, ejusque Primogeniti augusto nomine, veteri dicto fidem fecerunt: ferocem nempe extra periculum, plerumque ignavum esse. Abjectis armis, & superbiâ, suppliciter ad Rancæum voce flebili confugerunt: Et qui ad audendum, paulò ante projecti erant, se tunc reformationi in Monasterio, omnique etiam pessimæ conditioni libenter accipiendæ paratissimos exhibuerunt. Dixisses tandem, hominum linguâ furentum cor ad calcaneum decidisse. Rei gerendæ tempus pretiosissimum Rancæus non dimisit. Subjectis Monachis longè melius, quàm promiserat, habitis, strictioris observantiæ Ordinis Cisterciensis Monachos advocavit: illosque scripto signis testium, ac Tabulariis consignato Monasterium voluit obtinere. Tantùm ibi brevi profecerunt Cistercienses Rancæi consiliis, opibus, & autoritate suffulti; ut pristina Majorum sanctitas quasi reflorescere visa fuerit.

Nihil verò speciosâ Deserti Trappensis magis pinguescere fecit, quàm aspera Rancæi vita, quæ Monachorum austeriorem vitæ tenorem æquabat. Inaffectatâ jucunditate omnes ad se alliciens, iisdem quibus fratres cibis vescebatur. Cùm ipsis vacabat Deo; continentiæ studebat: invigilabat disciplinæ, lectionibus Sanctis intendebat; in jugi silentio, & ab omni strepitu secularium perpetuâ quie-

te cœlestia meditabatur: Nullusque in Monasterio erat, qui in Abbate censuram, vel stimulum non reperiret. His verò neutiquam contentus, Monachorum, quibus exemplo prælucebat, commodis, utilitatique infatigabili labore serviebat. Sociatâ siquidem Mariæ contemplatione cum vivida Marthæ diligentiâ, etiam quæ Monachis ad victum erant necessaria studiosissimè ministrare satagebat; sumtu proprio futuris eorum necessitatibus providebat quàm munificentissimè: nec usque adeò spiritalis ædificii erigendi curâ detinebatur, ut à terreni in integrum restituendi firmâ sententiâ desisteret. Pissima rerum varietas eum distringebat, cùm ingens ipsi casus intercessit, quem sic in epistolâ ad unum ex amicis sub idem tempus datâ describit: *Nuncio tibi*, inquit, *me heri ex gravissimo casu vix evasisse. Ædibus meis, quas restaurari curaveram, extrema manus accesserat. Eas inspecturus in superiorem partem ascendi. Eo ipso temporis momento, quo pedem inde efferebam, fracta subitò laquearis trabe, conclave, quo progrediebar, eversum est. Nisi me Deus à periculo servasset, repentina morte periissem. Trabs & laquear simul corruerunt. Divino etiam præsidio, unus è meis famulis in extremo muri leviter tantùm læsus est. Ea scilicet est vitæ hominum conditio.*

Monasticum Institutum, utpote securius, jam pridem amplecti meditabatur. Ex consideratione Divinæ sibi præstitæ tutelæ, necessitatis pœnitentiæ, instabilitatis humanæ vitæ, omnem abjicere procrastinationem constituit. Animum ad id Rancæus appellens Monachos audiit in choro cantantes hunc Psalmi 124. vers. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.* Quibus verbis cùm vehementer affi-

afficeretur; hæc in mente dicere sibi visus est: *Si qui confidunt in Domino, sicut mons Sion firmi consistant; cur in Domino Deo, relictâ seculari laxitate, spem meam ponere dubitabo?* Eoque movente interiùs, qui agebat exteriùs, omnes ab eo dubitationes diffugerunt. Concedente haud multò post Rege Christianissimo, ut è Commendatario Trappensis Monasterii Abbate, Regularis in posterum esse posset: Religiosæ disciplinæ in Ordine Cisterciensi tirocinium ponere decrevit. Abbas de Precibus strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis Vicarius Generalis, cui Rancæus Instituti Religiosi vestem postulavit, multis primùm verbis exaggeratâ intenti sacrificii magnitudine; deinde animi ejus constantiâ variis modis tentatâ: Monasterium B. Mariæ de Persenia indicavit, ceu accommodatissimum ad explendam mentem laborum, & afflictationum, cupientissimam. Hoc in Monasterio die Junii 13. anno 1663. uno comitatus famulo, qui etiam in vitæ Religiosæ professione comes fuit individuus, probationis stadium iniit.

Quo animo se, suaque Deo, & vices ejus gerentibus subdiderit Rancæus, quàm perfectè, & ardenter tirocinii cursum peregerit, nè lethali quidem perterritus, aut retardatus infirmitate, unusquisque à Scriptoribus vitæ ejus accipiet. A' quibus insuper, quisquis Rancæi gestorum, curiosus fuerit, mutuabitur narrationis contextum, nobis supervacaneum, & hic rescindendum, ut citiùs, allatis necessariis, exsolvere pollicita valeamus.

CAPUT TERTIUM.

Confecto tirocinii curriculo, de inducendis in Trappense Monasterium primævis Cisterciensium usibus Rancæus seriò cogitat. Quo ordine cogitata perfecerit ille ipse, enucleatè narrat in scripto, è quo nonnulli articuli depromuntur.

QUamvis strictiorem Cisterciensium observantiam plurimi ducerent in Galliis ii, qui aut ex animo suo, aut ex quorumdam Monachorum laxitatibus eam spectabant: Rancæus tamen novissimos primis majorum usibus conferens, deputabat minimi quidquid infra Regulæ præscripta statutum, admirabilitatem faciebat. Hinc Priorem Persenienfem impulit ad instauranda humilitatis, manuum laboris, afflictationum corporearum, silentii, & alia potissima Regulæ Benedictinæ exercitia, quæ in eo Monasterio jam pridem obsoleverant.

Verum cùm animo vividissimo, & omnis moræ impatienti eum morem gerere non finerent partes Novicii, quas obibat; ut primum Religiosâ professione in libertatem filiorum Dei se assertum, tarda omnia molimina confringere posse perspexit: primævum Ordinis Cisterciensis nitorem in Monasterium suum inducere contendit, eo ordine, quo eum in scripto antehàc inedito describentem audire non pigebit.

Ordinis Cisterciensis Institutum amplectens, inquit, Inveteratis abusibus, contrarios Sanctorum usus opponere destinavi. Cumque mihi purissima Ordinis origo videretur; Regulis ab Institutoribus præscriptis, quibus peculiarem sanctitatem exemplis contulerunt, instantissimè, quoad fieri

fieri posset, accedere constitui. Semper enim ab antiquitate steti; pravisque usibus, quorum plerique ab hominum cupiditate prodeunt, primariam legem præposui.

Primò. Romà rediens statui, in Monasterio nostro nec ova, nec pisces, sed herbas, legumina, & lac ad quotidianum victum adhibenda. Ova solis infirmis apponenda, (quibus tamen, cum graviori tenerentur infirmitate, necessarium carnium usum Rancæus nunquam denegavit, nec nos etiam denegamus.) Nec sanis, nec infirmis pisces porrigendos. Nec oleo, nec butyro in Refectorio utendum. Sed tantulo lacte quandoque cibos esse condiendos.

Secundò. Pani candido, & vino, atrum panem, & potionem è pomorum succis expressam, vel cervisiam substituendam esse decrevi.

Tertiò. Singulariter attendi ad antiquos usus, Majorumque duram, & asperiorem vitam in assignandâ horâ, quâ Monachi inconditos, & viles cibos sumerent.

Nunquam mihi probatæ fuerunt variæ nimiæque, in quas distrahuntur curæ, & sollicitudines Monachi ad exquisitos, & perquam elegantes cibos apponendos Nobilibus Viris in Monasterium adventantibus. Quamobrem præscripsi, ut hospitibus cujuslibet conditionis ad nos accedentibus consueti pararentur cibi, videlicet legumina, herbæ, & lactantia, ovis etiam additis: nullo discrimine Monachorum, & Secularium cibos haberi volens, nisi penès majorem in condiendis, & concinnandis istis diligentiam. Tantùm vero huic agendi rationi Deus aspiravit, ut quamvis feliciter in Monasterio Reges, & Reginas, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Regio sanguine genitos Principes, Virosque omnium ordinum Primarios exceperimus: nullus planè repertus est, cui oblati cibi simplices, &

& summâ nitentes mundiriâ non admodùm placuerint. Quin etiam magis sibi id probari plurimi demonstraverunt, quàm si mensæ cibi exquisitiores illati fuissent. Ut autem præcipuo, ut mihi quidem videtur, huic officio Monachi non deessent: cibos omnes in coquinâ ego *ipse* prægustabam, experturus, num grati hospitibus futuri essent.

Quartò. Observavi, Monachos ad refectionem capiendam pergere immodestè, tantâque celeritate, ut eâ facilè intuentium animi offendi possent. Nec majorem in eis moderationem inter cenam deprehendi. Mentem meam subiit cogitatio fratribus suadendi, ut quantam in indiciis supplicationibus, vel in choro modestiam, & verecundiam demonstrabant; tantam in vtrâque re faciendâ in posterum afferrent.

Quintò. Colloquiorum numerum, & materiam eo modo composui, & ordinavi, quo omnia, quæ distractum, & vagantem habent animum, à nobis excluderentur.

Sextò. Lintreorum, & Culcitarum usum infirmis abstulimus: nosque ad meræ necessitatis terminos in omnibus duximus reducendos.

Septimò. Præproperam festinationem, cum quâ sæpissimè Divinæ preces in choro recitantur, correximus: mentisque aberrationes, quibus Religiosos agitari contingit, dum Sanctissimum illud officium præstant, submovere contendimus pietate, attentione, & aptâ corporis compositione, quâ intuentibus exemplum fratres nostri præberent.

Octavò. Cùm mihi compertum esset, in admittendis Novitiis Religiosos utilitatibus, & commodis Monasterii aliquando duci, & hinc indignis patere ad Religionem aditum: certum mihi esse volui, nisi veræ vocationis de-

deprehensis indiciis, Religiosam vestem nulli tribuere. Persuasum mihi quippe erat, solis à Deo vocatis, Monasterii januas aperiendas esse. Et statim ut spiritum, quo in solitudinem ducti fuerant, ab eis recessisse judicabam; quod quidem propriâ eorum culpâ semper accidit: illos nullâ aliâ ratione habitâ dimittebam. Nec se dimittendos esse, sciebant, priusquam proficiscerentur. Abfuisses verò nec annuam Monasterio pensionem, sibique servare; nec aliquid alimentorum institutionis, vel vestium intuitu conferre, aliquando concessimus.

Nonò. Advertens, invaluisse consuetudinem, ut Monasterii Prælati extrà Monasterium crebrò vagarentur, per speciem amicorum, sibi, domuique connectendorum: inter necessaria officii mei munera posui assiduam in Monasterio commorationem, nisi fortè me indè convocatio Capituli generalis, aut urgentissima necessitas extraheret. Demto nostræ Diœcesæos Episcopo, quem semel invisi; ad nullum unquam etiam in Regno, aut in Provinciâ summum, atque altissimum gradum obtinentem, Visitator accessi: etiamsi me priorem officioso aditu occupassent. Cumque non arrogantia ridicula, sed amor constantis, & gravioris disciplinæ me ad id impulerit: nemo meam agendi rationem culpavit.

Decimò. In servandâ solitudine diligentiam Majorum æmulati sumus. Monachorum, sive inter se, sive cum extraneis, Sancti Bernardi exemplo, & autoritate innixi, supervacanea commercia explosimus. Quod quidem tam libenter fratres sunt complexi, ut genere proximorum, quales sunt pater, germanique fratres salutationibus se dare noluerint, nedùm tempus mutuis colloquiis consumere.

Fra-

XI. Fratribus suasimus, ut, amotâ familiaritate, se invicem honore, mutuis obsequiis, & amore prævenirent.

XII. Quod ad Capitula culparum attinet. Cùm hæc mens mea fuerit; iis ad vitæ Religiosæ perfectiora officia Monachos informari, existimavi Superiorem in ea necessariò incumbere debere: nec muneri ejus factum satis, si leviter tantùm agerentur.

Hæc Superioris animum exercitatio fatigat. Sed nec eum oportet reprehensionces fastidire, nec inferiores ab iis abhortere, aut illis conjunctas utilitates floccifacere. Et eò acriùs ad eam exercitationem animum adjungere debent; quò eam indiligentiùs haberi vident: quamvis in ipsâ varios sanctitatis comparandæ modos Deus demonstrare soleat. Attamen cavendum est in pœnis imponendis, quas extra Capitulum sustinere debent Monachi, ne ridiculæ sint, cachinnos moventes; neve tunc eveniat, quod alibi plerumque accidit: ut nempe lusûs, & oblectationis indè alii ansam arripiant.

CAPUT QUARTUM.

Idem continuatur Argumentum.

Quamvis iisdem adhuc immorari debeamus argumento; cùm laudati scripti paucioribus delibatis articulis animus noster non expleatur: Dissolvendam tamen duximus orationem, sive ut irrepentem in nimium sermonis contextum, & continuationem amoliremur obscuritatem; sive ut fugaremus tædium, quod affert is, qui uno spiritu continenter multa dicit. Sed & intermissionis occasionem nacti Lectorem monebimus, nos Rancæi nec singula exprimere, nec omnia scripti capita scrupulosius ex-

expendere. Quod profectò multi otii esset ac laboris. Sed illa tantùm, eâ quâ par est, curâ in medium nos adducere, quæ ad rem nostram accommodari possunt.

Sic autem Rancæus Instituta persequitur:

XIII. Ad Sacrarium sicut aliò curas, & providentiam extendimus. Ex eo splendida recidimus ornamenta. Quæ ad usum nostrum destinavimus, auro vel argento obduci nunquam passi sumus. Impensiúsque animus adjunximus ad ea submovenda, quæ priscam non redolebent paupertatem.

XIV. Insuper statuimus, ut, præter vigentem in Monasteriis consuetudinem nobis quolibet anni die iidem cibi apponerentur. Nèc ulla insolita animi relaxatio, aut futurorum jejuniorum, aut præcipuæ cujusdam festivitatis intuitu fratribus concederetur.

XV. Debitum Episcopis cultum ipsis sæpè non exhiberi animadvertens; nec in hoc Ecclesiæ mentis, & præscriptorum rationem haberi: contrario modo processi. Et ut animi sensus exprimerem; Obedientissimum Episcopo meo, & quâcumque datâ occasione obsequentissimum me demonstravi.

XVI. Cùm me non lateret, minimam in Monasteriis plurimis curam Religiosorum suscipi, proclamationes in his abrogatas; Superiores non paucos turgente animo verbis asperioribus violenter fratres increpare: Se potiùs mundanos Dominos, quàm Monasticos Patres in aliis regendis exhibere; & rarò admodum ductores, & ducto sinceræ charitatis vinculis alligari: necessariam in præfecturâ diligentiam amore, & clementiâ temperare decrevi. Ita ut variis benevolentiæ argumentis fratres mei persuasum haberent, me singulari eos charitate complecti & ut Regulæ

O simul

simul obtemperarem præscribenti, ut Abbas plus studeat amari, quàm timeri. In primis verò hâc me certa lege astringere volui, fratres omnes me adeuntes apertâ,& serenâ fronte excipiendi, & alloquendi: ut indicarem, me eos nec molestè, nec ingratè videre. Unde studiosius mentem semper ad eos intendi, quos mihi ob varia vitia graviores, ideòque egentiores cognoveram.

XVII. Plerumque in Religiosis societatibus ægrè fertur frater morbo laborans diuturno, quo à communibus officiis explendis arcetur. Prælato, & fratribus omnem occasionem amplectentibus demonstrandi, ejus infirmitatem molestam, & odiosam illis esse, quasi à segnitie, & nimiâ in se indulgentiâ oriretur. Ego verò inter præcipua muneris mei capita posui curam infirmorum hujusmodi mihi indesinenter habendam. Famulis Dei dicentibus quid sibi doleret, latente morbi causâ, sine dubitatione credidi. Nec timui postquam omnia providi, precavique, quæ ad dignoscendam infirmitatem necessaria visa sunt, ne si fortè vitæ laxioris, & dissolutæ desiderio ducerentur, culpa in me ante tremendum CHRISTI tribunal derivaretur. Sed in animum induxi, fictionis, & mendacii peccatum in eos, me copiosè absoluto, transferendum. Superiorum maxima pars id nullo loco memorat: maximi verò momenti esse semper arbitratus sum. Religiosus impar vitæ austerioris oneri; si quem sibi languenti adesse conspiciat: Deo rectis cordis affectionibus gratus esse potest. Sin autem nullam in Superiorum charitate malorum consolationem inveniat: doloris morsus eum à se amovere, & tristitiæ ejusque consectionibus se non dedere, difficile est.

XVIII. Sed cùm etiam aliorum periculis didicissem, nihil tàm fratrum voluntates à Prælato alienare, quàm si se

se ab illo negligi videant: ego ipse singulis etiam minimis necessitatibus providi. Ne unum quidem ptisanæ poculum infirmo cuilibet, nisi me singulariter jubente, infusum est. Nullusque meam in hâc re diligentiam desideravit. Scio quidem, tantâ fortè in procurandis consummatissimæ virtutis infirmis accuratione opus non esse: quippe qui tranquillè, & alacriter rerum, quæ creduntur necessariæ, summis angustiis premerentur. Verùm hæ exceptiones sunt ex peculiaribus factis deductæ, quæ Superiorem immunem non faciunt à generali attentione, quâ debilibus firmitas confertur; nec fortiorum in viâ virtutis profectus inhibetur.

XIX. Cùm auditione, & famâ accepissem, insignium Cœnobiorum Prælatis servos domesticos, vel Religiosos famulari: ego alienum me demonstravi ab eâ agendi ratione, ceu omnimodè mundanâ, & indignâ viro sibi ad imitandum proponente CHRISTUM, qui declarat, quod non venit ministrari, sed ministrare. Pro mente mihi, ut censui, à DEO injectâ, nè vestigium mihi quidem ullum esse volui externæ præstantiæ, quâ præ fratribus, etiam quibus præeram, quocumque modo suspicerer. Episcopis, Virisque Ecclesiasticis peculiari dignitatis gradu conspicuis hæc in Monasterio deferenda decrevi. In quo quidem servavi modum, quem exempli debitor Abbas servare tenetur. Verùm profiteri debeo, agendi, vivendi, aut sentiendi dissimilitudinem me nunquam ab aliis dissociasse: Nec iode præclaram de me, & aliis verò malam opinionem me imbibisse. Persuasissimum enim semper habui, fore ut perfectius ad Divini nominis gloriam, & fidelium exemplum valuisset, quisquis ea gratiæ munera accepisset, quibus ego cumulatissimè affectus sum. Hinc horresco cogi-

tans de reddendâ ratione villicationis meæ; cùm nihil in me perspiciam, quo impediri Dominus possit ab eâ terribili sententiâ in me ferendâ: *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores*.

XX. Hi ad quorum manus ista pervenient (enim verò scripto consignata non sunt, ut nusquàm efferrentur) arbitratu suo me judicabunt. Sed monitos eos volo, me triginta annorum experientiâ cognovisse, optimam legum observationem, & graviorem disciplinam, quæ Cœnobiis, cùm conderentur, tantum splendorem conciliaverant, paulatim labasse inconsideratiâ eorum, qui administrationi rerum in iis vacabant. Uno verbo, Religiosi bono, vel malo fidelibus exemplo sunt, prout Prælatus se, & illos rectè, vel pravè gerit, & instituit.

Ex Rancæi scripto hæc excerpsisse sufficiat. Nec enim expedit, rebus insistere, quæ notæ apud omnes sunt, & pervulgatæ. Quandoquidem tum in editis Rancæi operibus, cùm præsertim in luculentis variorum lucubrationibus planè, atque perfectè Rancæi documenta, & instaurati Cistercienses usus recensentur, illustrantur, & ab omni suspicione novitatis egregiè vindicantur.

CAPUT QUINTUM.

Indicantur viæ, quas Rancæus tenuit, & persequutus est ad pristinorum usuum Cisterciensium in Monasterio Trappensi renovationem.

Cum nec accuratis, nec exquisitis verbis Rancæum laudemus; abstinebimus à prolixiori enumeratione instrumentorum, quibus usus est, & quæ aliis ad sapientiam adipiscendam ministravit: ut, pro more, capita rerum expediamus.

Su-

Suscipiens Rancæus curam, & cogitationem virtutis suæ dignissimam, nimirùm antiquæ, & duræ Cisterciensium disciplinæ in Monasterio revocationem; nihil planè prætermisit eorum, in quibus ad finem obtinendum momenta maxima pervidebat. Ut filios ad omne Monastici officii munus instrueret, eosque ad Majorum instituta erudire perfectiùs, & feliciùs valeret: morem omnem ab iisdem Majoribus accepit. Rerum fontes penitùs inspexit. Vias securiores Summorum Pontificum semper indeficienti, & certissimâ autoritate vallatas, & perversitate hominum nimiâ morum mollitie in suam perniciem abreptorum insuetas indagavit. Altitudinem, excellentiamque virtutum, quibus Benedictus, Bernardus, aliique Institutores ad summam gloriam floruerant, animo extruxit: & in eo mentem, orationemque suam defixit, ut filii aureos Patrum mores, & vitam exprimerent. In proponendis grandioribus eorum exemplis, lumina dicendi adhibebat excitatiora, quibus primævæ sanctimoniæ cupiditate, & ardore vehementer inflammarentur. Hæc res illi in visceribus, & medullis hærebat. Hinc frequenter flagrantibus oculis, & vibranti sermone utens, fratres sic compellabat.

Attendite ad petram, undè excisi estis. Ne fontem aquæ vivæ derelinquatis, ut fodiatis vobis cisternas dissipatas, quæ aquas continere non valent. Nulla apud vos fides sit iis, qui se à Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ decretis, documentis, aut nutibus, Sanctorumque verbis, & exemplis demonstrabunt alienos; etiamsi infiniti propemodùm sint, & plurimùm inter vos pollere videantur. In declarandis voluntatibus suis Christus, Romanique Pontifices ejus Vicarii, Sanctos Institutores, & Majores vestros Ministros suos esse voluerunt. Quæcumque ab eis accepistis do-

documenta à Summis Pontificibus confirmata ad eximiæ virtutis culmen attingendum, eâ fermè religione observanda vobis sunt, quâ quidquid à Deo proximè dimanat. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, ait S. Pater Bernardus, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, utrùm per se, an per suos Ministros, sive homines, sive Angelos innotescat suum placitum Deus? Nolite ergo unquam, fratres, confidere in verbis mendacii, ut transeatis terminos, quos Patres vestri posuerunt. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ; & invenietis requiem animabus vestris. Inconsideratissimæ, ac dementissimæ temeritatis indicium est, relictis Patrum vestigiis, & sensibus mentem propriis opinationibus inficere. Festinandum est, ut à paucis, & rarissimis fumaris exempla virtutum. Cavendum maximè vobis est, nè dividentibus inter vos, & Deum vestrum iniquitatibus vestris, illi causa sit gravissima vobis exprobrandi, à seculo jugum ejus suavissimum vos confregisse, rupisse ejus vincula, & dixisse: non serviemus. Quàm satiùs est, humero uno servire ei, cujus mandata gravia non sunt: nec oneri Majoribus nostris, sed ornamento, & gloriæ fuerunt. Nè dicaris latum nimis Domini mandatum, in cujus viâ curritis. Patrum imitatores estote sicut & ipsi Christi; & dilatabitur cor vestrum. Tantùm proficere affectate. Si vos non invenerit dies ultimus victores, inveniat vel pugnantes.

Sic planè nervosus Orator Rancæus nullum orationum florem sequens, verborum fulminibus mentes discipulorum illustrabat. Multisque gratus, & fructuosus erat, non affectando cultum effusiorem in dicendo, aut plenis lite-

literatæ senectutis orationibus; non quemquam labiis suis lactando, aut loquendo placentia, adulterato verbo Dei: sed ostensione spiritûs, & virtutis, discipulorum animos bonarum cogitationum epulis abundantissimè saturando. Hinc quamvis cultu tenuissimo, & asperrimo viverent, in eorum vultibus aperta insidebat lætitia: eò quod Rancæus cibos voluptate carentes sanctioribus, & blandioribus alloquiis prosequens, omni voluptati odium adinveniret.

Enim verò abscindebat quidem sibi Rancæus omnium rerum respectum, præterquàm disciplinæ Regularis, bellumque voluptatibus indicebat: sed ad illud consequendum, congruenti & aptæ severitati, ac gravitati facilitatem, & comitatem aspergebat. Tempus, vigilias, prudentiam, & omnia ornamenta, quæ Deus, hominesque in eum congesserant, ad salutem fratrum impertiens, omnibus omnia fiebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiens erat ad omnes; Et quamvis utrumque necessarium esse sciret: tamen plus amari appetebat, quàm timeri. Naturam suam hùc, & illùc torquebat, ac flectebat, ut omnes in viâ Dei ampliores efficeret. Huic calcar, isti frenum addebat. In illum severitatis aculeum emittebat; isti, quem erexerat, evellebat.

In primis singulari humanitate, variis beneficiis, eximiis benevolentiæ argumentis ad eorum amicitiam adrepens, persuasos eos esse volebat, se non solùm comitate; sed etiam omnibus studiis, laboribus, vitæque periculis eos complecti. Indè cùm in animis eorum esset, & venas cujuscumque teneret, voluntatem, quò vellet, impellebat: & unde vellet, deducebat. Nunc objurgator benevolus, nunc verò asperrimus, adhibebat unicuique, quæ ei con-

ve-

veniebant, ut per idonea ad gloriam æternam contenderent. Nec facilitas autoritatem, nec severitas filiorum unquàm amorem imminuit.

Sæpè, cùm gravissimarum rerum infinitâ varietate divelleretur homo venustate, & lepote affluens, ac exercitatior ad benè de summis promerendum, infirmorum delectationem aucupari dicendo videbatur; in omnia familiaritatis officia descendere non dubitabat, ut, vel etiam certando secum, conscius esse sibi posset, se omnì ratione dimicasse, ut fratres conservarentur incolumes: nullumque eorum periisse, quos illi Deus Optimus Maximus dederat.

Totum administrationis suæ artificium verbis paucioribus, hunc in modum Rancæus complexus est: *Sic actiones nostræ*, inquit, *ad varios hominum sensus sunt componenda, ut nihil austerioris in eis appareat; quo efferentur animi eorum, quos ducimus, ut Deo adjungamus. Persuasibiliter loquitur, qui gratus est. Paulatim animos facere nostros debemus; non quidem abjectis, & demissis obsequiis, nec contra veritatem intempestive morem omnibus gerendo: sed adhibita jucundiori quadam venustate, qua homines allectet, & adstringat. Plerumque indulgentia utilis, interdùm etiam necessaria est. Iter pronum est ad maxima mala vitanda. Fastidiosè præcipientis imperia, aut conculcantur, aut malè perficiuntur.*

CAPUT SEXTUM.

Quod verbo incœperat Rancæus in Monasterio, perficit exemplo. Pastoris, seu Præpositi exponit officia.

IN Pastorum facta, non in verba intuentur multi: homines que eum libenter eligunt Doctorem, quem magis

gis mirentur cùm viderint, quàm cùm audierint. Sæpè enim contingit, ut, vità orationem refellente, aut qui rationem vitæ ab altero reposcit, suæ non possit reddere; aut qui in alio vitium reprehendit: in eo ipse deprehendatur. Rancæus qui Pastoralis dignitatis officia, & pericula noverat, nec hominum propensiones ignorabat, ab omni oratione abstinuit, quæ moribus non consonaret. Amissum colorem, & speciem pristinam sanctitatis Cisterciensium in Monasterio restituere conatus est, dolore suo regularem disciplinam sanciendo. In laboriosissimis exercitationibus invictum se semper præstitit à labore, nec unquam visus est dare legibus laxamentum in iis, quæ ad se pertinebant. Validiori operis, quàm oris voce assiduissimè fratres ad summa impulit, domumque suam optimis institutis, & legibus temperavit. Quod quidem usque adeò verum est, ut, qui arripuerunt facultatem eum lædendi, quæcumque dabatur, ut illi æternas inurerent maculas, quas reliquâ vitâ eluere non posset: tandem agnoverint vi veritatis coacti, cum præceptis, & consiliis periculum suum, idque gravius semper adjecisse.

Perfectam sui reddidit imaginem Rancæus insciens, dum scitè, & luculenter veri Pastoris officia sic expressit:
„ ut Præpositus satisfaciat omnibus officiis, quæ his Regulæ
„ Divi Benedicti verbis continentur: *Christi vices agere*;
„ non satis est, fratres mei, si ejus nomine regat, ejusque
„ autoritate, & potestate utatur. Oportet prætereà, ipsum
„ planè ea facere in Monasterio, quæ præstaret Christus, si
„ ipse adesset: tam studiosè laborare in procuranda fratrum
„ perfectione, & salute, ac Christus in confulendo discipu-
„ lorum sanctitati; facta ejus cunctis operibus suis exprime-
„ re: invisibilemque Pastorem visibilem demonstrare diligen-

P tiâ,

„ tiâ, & pietate, quas in implendis ministerii suis partibus
„ ostendat. Cumque Christus, ut nihil omitteret eorum,
„ quibus Patri suo discipuli grati esse poterant, & digni ele-
„ ctione, peculiarique ratione, quam ipsorum habuerat, non
„ solùm sermone, sed etiam exemplo eos formare voluerit;
„ assiduè se ad ductum eorum applicuerit, & nunquam eo-
„ rum infirmitatem orationis suæ vi roborare destiterit: Iti-
„ dem verum Pastorem, fratrum institutioni sine intermis-
„ sione operam dare necesse est, verbo, & opere muneta edo-
„ cere: accuratâ, & mirificâ vigilantiâ vitam eorum dispo-
„ nere, & in primis cum sollicitudine, & laboribus servi-
„ dissimam orationem sociare.

„ Persuasum habeatis, fratres, infructuosa esse Præla-
„ ti verba, nisi exemplo fulciantur, & confirmentur; ari-
„ dumque, languens, & mortuum quid exemplum illud es-
„ se, cui verba vim, & vitam, quibus caret, non confe-
„ runt: sed nec verba, & exemplum ingentes, aut valde
„ prosperos exitus consecuturos, nisi ad dirigendas sibi à
„ providentiâ creditas animas toto animo Prælatus incum-
„ bat. Omnibusque fideliter expletis officiis, inutilitatem
„ suam agnoscere debet.

„ Hæc nimirùm sunt, fratres, Pastoris verè ministerio
„ digni munera, si ea adimplere velit, ad quæ vi verborum
„ *Christi vices agere*, tenetur. Ista autem officia locum, quem
„ in Monasterio tenet, ipsi imponere Sanctus Benedictus de-
„ clarat, dum disertè asserit, cum omnia bona, & sancta
„ discipulis factis, & verbis ostendere; quæ eis docuerit esse
„ contraria, in suis factis non agenda indicate debere: tan-
„ tùmque in judicio Domini absolvendum, si eis omnem
„ attribuerit diligentiam, & morbidis eorum actibus univer-
„ sam curam exhibuerit.

De-

Deindè cùm hanc quæstionem instituisset Rancæus, nempe: quid Prælato faciendum incumbit, quousque ejus sollicitudo progredi debet, ut eo, quo tenetur modo discipulos exemplis instituat? Laudatis, & illustratis iis omnibus, quæ Sanctus Benedictus summâ Religione, & felicitate tradidit, rem totam momento suo egregiè ponderat. Quæ verò unctione magistrâ didicerat pandens, eximiis Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum testimoniis roborat, & exornat. Totusque est in demonstrando, Prælatum mundum esse debere à peccatis omnibus, strenuum in operibus bonis, perspicacem in deprehendendis malorum insidiis, & virtutum pennis suffultum; in altum stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam: operatione præcipuum, ut vitæ viam subditis vivendo denunciet, & grex, qui Pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur; voci suæ dare vocem virtutis, ut opera verbis concinant, imò verba operibus, ut curet videlicet priùs facere, quàm docere: ut onus, quod portandum imponit, prior portet. Sermo enim vivus, & efficax, exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur.

Quæ postquam plenè, & eruditè tractavit, hunc in modum concludit: „ hæc sententia austerior non videbitur
„ attendenti ad ea, quæ dicit Apostolus differens de Episco-
„ pi dotibus, & ornamentis. Enim verò si velit, eum sanctum, & irreprehensibilem esse, & in omnibus seipsum
„ exemplum præbere, licèt varia sustineat munera, ad quæ
„ sollicitudo ejus extenditur; multiplicique curâ, quæ animum, ut plurimùm avocat, retardetur: quid, velim, re-
„ quirendum non est à solitariorum Prælato, cujus functio-
„ nis munera, claustri ambitu concluduntur? Et qui, cùm,

„ ejusdem status, & conditionis sit cum his, quibus præest,
„ in universis actionibus, minimisque circumstantiis, norma
„ eorum, exemplar, & forma esse debet.

CAPUT SEPTIMUM.

Quàm egregius orationis studio, pietate, & Dei reverentia Rancæus semper fuerit.

PAſcas verbo, inquit S. P. Bernardus, *paſcas exemplo, paſcas & ſanctarum fructu orationum. Et ſi vocis virtus ſit opus, & operi tamen, & voci gratiam, efficaciamque promeretur oratio.* Cum igitur obiter Rancæum induxerimus verbo, & exemplo fratres paſcentem; instituti operis ratio poſtulat, ut ſaltèm in tranſcurſu eum inducamus verbis, & exemplo efficacitatem precibus, & pietate promereri ſtudentem.

Quod ab alteris Rancæus poſtulabat, nempe, ut aſſiduè in choro Divinæ rei darent operam, nunquàm in ſe recuſavit. Uni è domeſticis Monaſterii præceperat, ut ſedulò quarumlibet precum tempus imminens ei nunciaret. Eoque ipſo temporis articulo, quo conſpectum ejus ſubibat, nullâ planè ductâ ratione, aut ordinis, aut dignitatis perſonarum, rem quamcumque, vel etiam de rebus optimis colloquia comiter abrumpebat. Quidquid temporis ſupererat, finitis precibus canonicis, aut muneris paſtoralis expletis officiis, totum dator hilaris Deo tribuebat. Illudque verè affirmare poſſumus, Rancæum vix, ac ne vix quidem viſum fuiſſe, niſi cum Deo, aut de Deo agentem, ex quo ſe ad frugem recepit. Autor ipſe ſolus omnium rerum, & cuſtos Deus penitùs introſpicit, quàm fervidos pietatis ſenſus Rancæi menti immiſiſſet; noſtrumque non eſt,

est, rem perfectissimam inconsultius adumbrare. Scintillantium affectuum ardorem, quo consumebatur, & æstuabat, convenientiùs in lucem Rancæus ipse proferet.

„ Domine, ait Rancæus, effundens coram Deo cor
„ suum, Domine, cùm cogito de extremâ vitæ meæ lucta-
„ tione, de reddendâ ratione villicationis meæ, de severio-
„ ri judicio, de inexorabili justitiâ omne plectendum punien-
„ te, de infinitis prorsus peccatis, actionibus, verbis, cogi-
„ tationibus, quorum mihi vetustate abiit memoria, quæ
„ nunquam apud te senescit; de horrendâ sententiâ, quâ à
„ te, & à Sanctorum societate nimici tui in perpetuum re-
„ movebuntur. Cùm perpendo, te in Angelis tuis reperisse
„ pravitatem, cœlosque quantumvis præclaros, & splen-
„ dentes, in conspectu tuo mundos non esse. Denique cùm
„ reputo mecum, te voluntariâ quâdam oblivione contritu-
„ rum in æternum eos, qui tui memoriam amiserunt, no-
„ ctemque tenebrosam, quæ ipsis in partem, & in suppli-
„ cium cedet, nec finem, nec levamentum habituram, ter-
„ rore, & ægritudine opprimor: & inter acerrimos doloris
„ morsus tabescens, vix meipsum patienti animo sustineo,
„ quod paulùm admodùm mihi omnes istæ prosint notitiæ,
„ quod alia agam, quàm quæ agenda sunt ad summa mala
„ fugienda, & quod tantâ securitate annos meos labentes
„ intuear, quantâ si nihil mihi timendum esset.

„ Domine, aliam in partem si versem animum, cur-
„ riculique mei metæ jucundiorem speciem inducam. O'
„ quàm diversi sunt sensus mei, & quantâ lætitiâ efferor, ju-
„ dicia tua prospiciendo! Universam misericordiæ conspi-
„ cor ordinationem, & modum, quem erga omnes, & præ-
„ sertim erga tibi servientes animas servasti, studiosissimam
„ voluntatem eas ab omni noxio tutandi, cùm per lubrica

in-

„ incederent; curam in fulciendis earum vestigiis mirificam, „ nec non ipsis collatum amantissimorum amplexuum tuo- „ rum præsidium, cùm terræ adhærentibus manifestum in- „ staret exitium: Denique incomprehensibilem benignita- „ tem, quæ mala quædam eos consectari, permisit, ut de „ malis etiam ipsis benefaceret.

„ Uno, eodemque intuitu coronas inspicio, æternum- „ que gloriæ pondus, quibus certamina earum compensa- „ buntur. Ipsas intueri mihi videor amictas stolis albis nive „ splendidioribus, sequentes Agnum ad suavissimos vitæ „ fontes, ad divina pascua, ut jucundos perpetuæ beatitatis „ fructus cum ipso percipiant. Animo mihi illas repræsento „ lucem inhabitantes inaccessibilem, quam oculus non vi- „ dit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; Et „ cum Apostolo tuo exclamo: *Non sunt condignæ passiones* „ *hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in* „ *nobis.*

„ Quàm cæci, & mendaces filii hominum in stateris, „ dum in luteis tuguriis parumper habitare malunt, quàm ad „ æterna tabernacula pulchritudinis, splendoris, & magnifi- „ centiæ incredibilis aspirare! Da, Domine, binam æterni- „ tatis tuæ faciem oculis mei obversari; spem futurorum bo- „ norum cum metu malorum mentem meam assiduè copu- „ lare: & tam moderatè, ac fideliter, admodùm dispares re- „ rum distributiones gratiæ tuæ pretiosissimo munere me „ temperare, ut à te malorum liberationem, bonorumque „ possessionem valeam obtinere.

„ A' te accepimus, Domine, cupiditatem, qua Mun- „ do, & iis quæ in Mundo sunt, nos tradimus constringen- „ dos, malorum omnium radicem esse. Da, Domine, me „ nullam in eo bonitatis larvam remorari; & quidquid gra-

tum

„ tum est, animumve mortalium prolectat, me aversissimis „ oculis conspicere. Effunde amaritudinem, & acerbitatem „ in ea ipsa, quæ usus mihi ferè necessaria fecit. Vitas meas „ duras, arduas, & laboriosas redde. Si fortè evenerit, ut „ rosas in mundo lecturus temporis momento consistam, spi„ nas, & sentes mihi porrige. Ut cor meum nihil in eo di„ gnum amore reperiens, tibi totum, & integrum devovea„ tur; tibi, Domine, qui in perpetuum felicitas mea, quies „ mea, solatium meum, & vita mea futurus es.

„ Illi soli beati sunt, qui te possident, & in quibus, „ juxta verbum tuum, inhabitas. Hæc mundatum conditio „ est animarum, quæ verentur ea admittere, quibus oculi „ Divinæ tuæ Majestatis offendantur. Indefinenter cor suum „ custodientes summâ curâ, nè fortuitum ipsis factum, di„ ctum, vel cogitatum excidat, quod eâ, quâ fruuntur, feli„ citate sit indignum.

„ Heu, Domine, quantum à beato illo statu abesse „ me agnosco! Cùm contemplor miserias obruentes ani„ mam meam, me in meipsum conspicio rebellantem. Mihi „ ægrè subjiciuntur sensus mei, vi mentis abripior, me ratio „ in errorem inducit; & tantùm abest, ut voluntas mea pa„ cem mihi conferat, quæ sinceræ obedientiæ fructus est: „ ut contrà me sollicitudine afficiat, cùm video eam rebus „ levioribus detineri, imperfisque tuis eâ, quâ par est velo„ citate, & diligentiâ non obtemperare. Quidquid tibi com„ placitum fuerit, in me, & mecum operetur manus tua. „ Tunc verè felix ero, cùm me pium, & fidelem effeceris. „ Tu enim es felicitas mea, Domine, cui summâ fidelitate,& „ simplicitate animæ gratæ sunt, & inhærescunt.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

Ad alia tenoris ejusdem pergit Rancæus.

"Quàm incomprehensa mortalium cæcitas! Declarasti, Domine, angustam portam, & arctam viam esse, quæ ducit ad vitam, & paucos eam invenire. Et tamen omnes, paucis demtis, viarum laxitatem, & rerum affluentiam percupiunt, perindè atque si tu verax non esses, aut vita illa, quam polliceris, nullo in pretio haberetur. Nonnulli insaturabiliter divitias expetunt, & voluptates. Quidam ambitioni nullos constituunt fines, nec fortuna quamlibet amplissima avidissimum eorum animum explet: alii in luxum immensum, & sumtuosam magnificentiam effunduntur. Alii nomini, & gloriæ unicè student: alii ex abusibus cunctis, & immoderationibus collectis, & accumulatis, actionum normam eliciunt. Denique ex iis, qui tàm absurdis, & legi tuæ repugnantibus corruptelis se subtraxerunt; nonnulli fluxis, & perituris tenentur, dum in eorum vitâ mundanæ consuetudinis, collocutionis, familiaritatis, obsequentiæ, & curiositatis intercapedo nulla reperitur: sive ea, quoad fieri potest, secretius sectando, quæ alii graviori fastu, & ostentatione, & longè excelsioribus theatris exequuntur. In quo quidem consimiles planè sunt his, qui peritissimorum Pictorum excellentiores, & splendidiores tabulas modò contractiori imitantur, & exprimunt.

"A' periculosissimis aberrationibus istis serva me, Domine. In Christianâ sapientiâ commotionum omnium moderatrice statue me. Cùm Mundo divortium meditanti, mentem tribue longissimè disjunctam ab illis, quibus

Mundi

„ Mundi amatores catenati deprimuntur. Vanitatis, cui se „ dedunt, odium in me concita, & damnandam omnem re- „ dundantiam eorum demonstra. Custodi me Domine, & „ cura, ut fidei, ac persuasioni meæ vita mea congruat. Quan- „ doquidem firmiter credo, juxta doctrinæ tuæ oracula, te „ consolari afflictos, ditare pauperes, humiles exaltare gra- „ tiæ tuæ fusis muneribus, Divinaque Spiritûs Sancti suavi- „ tate perfundere illos, qui se, detractâ omni terrenâ cupi- „ ditate, voluntariè coarctant: & te tandem aliquando ma- „ ximo gaudio cumulaturum eos, qui regiam angustiarum, „ & laborum viam ingressi fuerint.

„ Domine, qui mihi mentem dedisti, ut his oraculis; „ & sanctissimis documentis tuis concederem, animo meo „ illa tàm altè insige, & insculpe, ut ex eo nunquam delean- „ tur. Da operam, ut sacris notionibus à te consignatis, nec „ mundana commercia, nec studium inanem hominum gra- „ tiam aucupandi, nec mei ipsius amor, nec fluxorum, ca- „ ducorumque bonorum cura, nec segnities, nec vanitas; „ nec inconstantia, nec nativa malignitas è corde ad facta „ mea effluentibus moram afferant. Adeò ut nihil in me „ deprehendatur indignum eo, quod præ debito tibi cultu, „ omnia sibi postputat.

„ Cuncta gratiæ tuæ munera recenses, Domine. Dona „ tua diurnis actis accuratissimè mandas. Quando ergo cum „ animis considero, te, quidquid egero, in trutinâ suspen- „ surum; prodeunt illicò in immensum serpentia delicta mea: „ tunc autem pacem, & consolationem nullam invenio, nisi „ immensæ charitati tuæ me permittendo. hâc enim spe fu- „ stentor, te à facie tuâ me non repulsurum, postquàm inter „ miserias, errores, & flagitia mea tibi adhærendi, & tecum „ in gratiam redeundi sinceram deprehenderis voluntatem.

Q An-

„ Annunciavit enim nobis ex te Propheta tuus, te exaudire
„ desideria pauperum,& præparationem cordis eorum aurem
„ tuam audire.

„ Domine, quàm mirabiliter in errorem rapiuntur in-
„ domitâ, & effrenatâ animi cupiditate ii, quibus jucunda
„ videtur habitatio, Mundus, quem exilii, & suppliciorum
„ locum esse voluisti! Dies nostri sicut fulgura avolant, &
„ evanescunt; in dolore, & acerbitate consumuntur: horti-
„ da peccatorum moles deformat animas nostras; turbulen-
„ torum animi motuum imperio nosmetipsos subjicimus:
„ terrore percellimur, & commovemur; vanitate distrahi-
„ mur; laboribus aggravamur; acriùs nos tentatores infe-
„ ctantur: morbis angimur, iniquo nos animo ferimus, ini-
„ mici nos exagitant; amici fidem fallunt: & sæpenumerò
„ indè tædium nobis affertur, undè pacis, & quietis spes no-
„ bis affulgebat. Demùm in Mundo nihil præter colluviem,
„ & miseriarum cumulum aspicio. Attamen, Domine, nisi
„ cordis mei motus componas, illique summo jure imperes,
„ infructuosæ mihi erunt ex propria pravitate cogitationes
„ istæ; vacuis manibus in servitute sedebo: vincula mea,
„ contendam; mala, quæ me consectantur, libenter ample-
„ ctar: incredibilique errore obcæcatus, vitam omnem con-
„ teram in sectandis iis, à quibus abhorrere deberem. Quod
„ si, &c. Istud Rancæi in Deum pietatis, & à Mundo alie-
nationis specimen dedisse qualecumque sufficiet: quando
immensum esset singula perfequi, quæ sive in operibus ejus
ineditis, sive in his, quæ sunt edita, hoc de argumento re-
periuntur.

In iisdem etiam operibus tàm luculenta exstant Ran-
cæi in Deiparam Virginem MARIAM venerationis indicia,
ut actum agere videatur, qui vel leviter id tangere velit.

Unum

Unum est quod silentio dissimulare non possum, nimirùm summam Rancæi in Reginam Angelorum reverentiam, non secùs ac primigeniæ Regulæ Benedictinæ splendoris amorem, occasionem quibusdam dedisse, ipsi Doctoris Mellifiui nomen tribuendi. Unus inter plurimos Reverendissimus Pater Domnus Antonius le Vvaitte Abbas conspicuus Ordinis Cistercienſis sic scribebat anno 1672. in historiâ Abbatiæ Camberonensis in Belgio: *Sunt, qui Bernardi ad exemplar, ut ille, Claravallenſesque sub eo vixerunt, hodie vivunt: Trappenſes, inquam, ſub Abbate, in quo redivivus quodammodo Bernardus. Plura vellem: sed vetat me magna illius Bernardi modestia.*

CAPUT NONUM.

Indicatur quàm singulari charitate Rancæus malevolos, & inimicos complecteretur.

CUm per amorem Dei amor proximi gignatur, non est cur multum laboris insumam in stabiliendâ erga proximum charitate Rancæi, quem amori Dei nihil præposuisse vidimus. Itaque ut aliquid novi, & eximii ipsi afferam; operæ pretium est, ostendere, tàm singularem, ejusmodi fuisse dilectionem, ut inter Rancæo charos, & malevolos, aut inimicos quid distaret, nemo unquàm discernere potuerit. Nisi in rebus celebratissimis versarer; extrà hos cancellos egredi non dubitatem, quos mihi ipse circumdedi: ut rem, quâ solâ memoriam sempiternam in Trappensi Monasterium Rancæum intulisse constat, diligentissimè ponderarem. Quod profectò facili negotio conficerem, Rancæi emergentis, & ad saniorem frugem se recipientis numerando dies, quorum vix ullum reperio,

quem hominum injuria, & altissimis radicibus defixa virtus ejus non illustraverit.

Nam increbrescentibus sermone, & doctrinâ Rancæi, & viris eximiis se totos in eum convertentibus, quod abundè illi adesse omnia perspicerent: incredibiliter odii, & invidiæ incendio cœpit conflagrare. Nonnulli siquidem in Majorum Institutis hæsitantes incurrerunt in famam ejus, iramque acerbiorem intimo corde in eum conceperunt, censentes, eum novas præceptiones gignere, ut austerius Institutum gratâ novitate radices ageret, & propagaretur. Quidam eum infestis conspexerunt oculis, ipsique aliquid calamitatis struere contenderunt, quod aut valdè illis arridentes dispelleret tenebras, aut opiniones delusis mentibus comprehensas verbo, & exemplo convelleret. Plurimi dolentes, ex verborum aculeis, & variis accusationibus eum crescere; postquam virtutes aut invertissent, aut vocassent in crimina: dedecore nullo abstinuerunt, ut gravissimis rerum acerbitatibus cumulum de laudibus ejus demerent. Tandem innumeri criminosis narrationibus, librisve criminosissimis imprudentes decepti, non modò benevolentiæ cursum sustinuerunt; sed etiam ansam ad reprehendendum dedisse arbitrati sunt, virum, cujus sententiis, & agendi modo tot notæ, totque sordes allinebantur.

Quid inter hæc Rancæus? Spectator assiduus rerum superarum, digitisque delicta juventutis suæ dimetiens, tantùm abest, ut audaciam adversariorum confutaret, eorumque calumnias contunderet: ut potiùs voluntariâ oblivione contritis injuriis, gravissimorum vulnerum sibi inflictorum cicatricem contegeret, & sanaret. Quâ de re juvat ipsum audire.

Ani-

Animis acerbis in Rancæum quibusdam sævientibus, suadebant amici, ut famam, neque summis mortalium spernendam tueretur. Ille verò sic reposuit: *Divini juris est quidquid famæ habeo. Si ad Dei gloriam valeat; infractis insurgentium in eam conatibus, intactam ipsam servabit. Quod si nullatenùs ad illam conferat, ipsi libentissimè nuncium remitto; meque omnium despicatissimum, & contemtissimum videns omnibus lætitiis lætus ero. Episcopo curam habere licet de bono nomine, quod multùm populorum saluti prosit, & juvet: mihi autem famæ, vel nominis Monacho debitum est. Natus est in contemptum, & dedecus sempiternum, ut opprobriis, & despicationibus, Christum ludibriis, & contumeliis deformatum exprimat, acerbiora convicia, calumniasque perpetuum infamiam inurentes silentio patienti ferendo. In hoc positus est: in hoc gloriari debet &c.*

Cùm in summas deduceretur angustias à nonnullis, qui infinito ejus plausu dirumpebantur, & de bonis ejus coibant, hæc ad amicum scripsit: *Omnibus modis famæ mea laceratur. Invidia à nullo prorsus crimine falsò mihi objiciendo ad hanc usque diem abstinuit. Jam pridem est, ex quo accepi, varios mente planè diversâ, sed eadem cura, & diligentia, quidquid egerim à puero perquirere. Sed certum tibi esse volo, nec reprehensionibus, nec approbatione hominum moveri eos, qui in Christi judicia cogitationes defigunt. Valetudine perdita sixagesimum annum ago. Urgentissimum scilicet incitamentum finis mei in memoriam continuò revocandi. Veritatis quidem, ut paucis absolvam, in controversiam adductæ forsan defensionem enstar. Sed me volenti animo semper indefensum relinquam.* Hæc inter plurima ad virum amicum scripsit Rancæus de quo-

quodam maledictis ipsum concidente: *Ad omnia paratus sum*, inquit, *humanitatis officia in gratiam hominis, de quo ad me scripsisti. Quidquid mihi insidiarum, & periculi molitus est, summam mihi tribuit cupiditatem, quàm maximè ejus commodis inserviendi. Profiteor, tot in me annis superioribus tàm acriter insurrexisse, ut, ea de causa firmiùs solito recentissimè coràm Deo decreverim facessere præceptum istud: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Hæc ad pectus meum res advolat, cùm audio, quædam in me jactari, quæ ingrata viderentur, si naturam insusurrantem consulerem.*

Peculiari notatione dignum est quod de hoc argumento scriptum reperio in unâ ex Rancæi epistolis inscriptis ad Regiam Celsitudinem Ducissæ de Guisiâ Regis Christianissimi Ludovici Decimiquarti Patruelis sororis: *Verùm animadverto*, inquit, *eos, qui etiam amici mihi sunt, aut se amicos profitentur, in summa esse sollicitudine, quod de sparsis de me rumoribus nullo modo curem. In autores recidunt calumniæ, dum nihil tangunt eos, quibus conflantur. Divino munere affirmare possum (Dei enim donum est) me firmè æneum esse in illos, qui me vellicant. Quod quidem dico de intimo doloris sensu, quo premuntur homines propter eas, quas injurias vocant. Ceteroquin molli, & tenero erga illos animo sum. In illos redundans mihi intentum malum graviter me pungit. Deo pro ipsis preces adhibeo: veramque perciperem lætitiam, si eis officia mea præstare valerem. Quo in statu sim, manifesto, Serenissima Domina, omnibusque eum esse perspectum ex animo volo.*

In indice eorum, quæ sibi singulis diebus accuratè facienda Rancæus præscripserat, hæc manu ejus exarata de-

deprehenduntur: *Ad inimicos quod attinet, non solùm injuriarum memoriam amittere debeo, earumque veniam concedere; sed etiam illos complecti charitate, quæ grati animi significationem imitetur: aucupando tempus optimè de illis merendi, nec satis unquam studium meum illis concessum fuisse, reputando.*

CAPUT DECIMUM.

Pronunciata quædam Rancæi de dilectione inimicorum. Quandonam sibi contra maledicos præcavendum duceret, breviter declaratur.

1 Nihil efficacius est ad conciliandum nobis Dei Judicis clementiam, & benignitatem, immisericordibus, & injustis hominum judiciis, dummodò in charitate, & pace perstemus; officinque nostri munus esse verum ducamus, Divinam misericordiam, illis ipsis, qui in nos immisericorditer agunt, efflagitare.

2 Molestissimum hominibus est præceptum quod majoris momenti, & ponderis esse Christus voluit, in eo quod jussit, ut charitas servorum ejus, etiam inimicos amplecteretur. Aliis Christi præceptis præponendum est; cùm ab eo æterna nostra felicitas, vel miseria pendeat: Deo misericordiam, vel iram effundente, juxtà illam, quam in hoc implendo diligentiam, vel incuriam attulerimus. Mandatum illud hominibus proponendum, & explanandum Christo in Mundum veniendi velut præcipua causa fuit. Et quidquid prætereà Christianus faciat, indignus est dignitate, & nomine, si in hoc discedat ab officio, rationemque tam injusto agendi modo obtendat.

3 Jam ad rumores adeò obdurui, ut nè minimum qui-

quidem meum animum afficiant. Nonnulli scriptis defendendum me suscipiunt, nonnulli vituperandum. Alii me bonum, alii malum prædicant. Is reverà sum, quem me esse judicat Deus, ad quem unicè respicere, Religiosæ vitæ, & Christianæ professio me cogit.

4 In ignoscendis, & oblivione obruendis injuriis, tanquàm peculiari notâ internoscuntur hi, qui Dei sunt ab iis, qui non sunt. Christiani sinè recordatione, sinè memoriâ, sinè morsu doloris esse, proprium est. Hanc veritatem qui tenet, & exercet, salutis firmissimum indicium habere creditur.

5 Quamvis inimicorum nostrorum dilectio nullis circumscribi terminis debeat; in fiduciâ tamen modus, & certi fines esse possunt.

6 Ad me perscribunt amici, novis me censuris fuisse subjectum; scribendique pruriginem oriri ex tranquillitate cum quâ veteres censuras intuitus sum. Si scribendi finem non faciant, usquedùm ea, quæ maledico dente carpunt, molestiam mihi procreent, & patientiam meam exhauriant: rem nondùm confecerunt. Nam Deus circa ea animo meo placidissimam pacem contulit, quam ipsum mihi servaturum spero, inhibendo, quominùs aliquid in me excitetur, quod cum præceptâ inimicorum dilectione non cohæreat. Stupenda sunt onera, quæ Matthæi capite quinto Christianis imponuntur. Nec ægrè ignoscet injurias, qui tantisper secum ea considerabit.

7 Vult Deus, Christianos patienter injustitias perpeti, pacem cum omnibus servare, aliis nec causam, nec occasionem præbere illam amittendi.

8 Si intelligeremus, quantum nobis emolumentum inimici tribuant, auro eos duceremus expendendos. Afflictio-

stitiorilibus salutem nobis parant, dùm amici adulationibus exitio nobis sunt.

Has ex immensâ messe spicas legisse sat erit, si addiderimus, Rancæum in vitæ perpetuitate constituisse sibi: & in præcepto adimplendo, de quo verè dici potest, longè aliud esse bonam actionem, aliud bonam orationem, usque adeò Religiosum se exhibuisse, ut quidam existimaverint, ejus verba factis quotidianis multùm superata fuisse.

Ceterùm, cùm Christus Dominus exemplo suo patientiæ Christianæ fines constituerit; Rancæus, qui, ut in bono malum vinceret, animis acerbis in se sævientes, novo vindictæ genere beneficiis cumulabat: nonnunquàm prosternendo obtrectationes malevolorum, agni mansuetudinem, seu simplicitatem columbæ cum serpentis prudentiâ copulabat. Hinc qui saxeus, & immotus erat cùm concideretur ignominiis, & contumeliis opprimeretur; totum se igneum exhibebat, dùm de Divinâ gloriâ, aut de pertinentibus ad eam agebatur: sciens, in propriis injuriis laudandam patientiam, si ad Dei contemtum dissimulandum impellat, impietati proximam esse. Hinc quibuslibet, etiam durissimis susceptis medelis, omnem à se suspicionem amoliebatur, dùm sycophantiæ struebantur in iis, in quibus Christianus patiens esse nec poterat, nec debebat.

Eminuit in patientiâ moderatio à Rancæo adhibita; quando nonnulli sperantes, auram sibi aliquam in criminibus afflari posse, turpitudinem ipsi infligere, ejusque commoda limare contenderunt, asserendo, raros esse in Trappensi Monasterio Deiparæ Virginis clientes, infrequentes eos, qui corpore Christi pasci concupiscerent, singulari agendi ratione Abbatem, & Monachos Ecclesiæ,

 & Regi

& Regi suspectos esse debere. Sed mirum in modum præsertim Rancæus excanduit, dùm fidem ejus nullâ pravâ suspicione violatam, homines promti adversùs insontes, calumniis, & obtrectationibus impunè peti posse crediderunt. Tunc accusatores, & credulos duriùs inclamavit. Validissimè fui, suorumque defensionem nervosissimis scriptis instituit, nec nisi re perfectâ, idest, omni etiam minimo nævo exterso conquievit. Deus ipse protector omnium sperantium in se, & persecutionem propter justitiam patientium, exploratâ Rancæi christianissimâ patientiâ, culpam omnem ab eo depellere sæpè dignatus est, integritatis ejus divinitùs studiosissimos vindices suscitando.

Pretiosissimum hujus rei, ac præstantissimum suppeditat argumentum Epistola unius ex Emis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quem morum sanctimonia, & ea, in quâ semper vixit claritas maximè commendarunt. Hæc autem Româ ad Rancæum scribebat anno 1693. quo tempore homines quorum animus ad flagitia accommodatus adversùs Rancæum, cujus innocentia omni ratione protectior erat, variis contextis criminibus grassabantur: *Graves de te Romæ sparsos rumores*, inquit Purpuratus Pater, *nunc ab omnium animis Deus dispulit. In te confictæ criminationes ad Suæ Sanctitatis aures deductæ fuerant. Sed adversarii, & invidis in te vocem mittentibus, amici, & admiratores feliciter calumnias nudarunt &c. Hac procella stabilimen accessit famæ, quam tibi eximiis meritis confecisti.*

Ex his intelligitur veritas istius egregiæ sententiæ Sancti Ambrosii, videlicet: Deum (servis suis) non solùm ablata restituere, sed etiam inspetata concedere. Quod quidem Rancæo plerumque felicissimè contigisse perspicuum

cuum est. Virtus enim ejus, quæ per quietem se exetuetat, commota per flagella fragrabat. Sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incenduntur, expandunt. Hinc plurimis in fulgentiora Rancæi facinora, quæ suspicere debuissent, insurgentibus; patientissimus Abbas tribulationibus, quibus premendus credebatur, innotescebat. Summi piaculi genus esset hic omittere, quod ad tantam veritatem invictissimè confirmandam à laudato Domno Petro le Nain mutuari possumus. Sic enim de Rancæo, in quem concitabantur tot, ac tanti, quorum nondùm ardor animi consederat, loquitur Vir rerum quas narrat, per annos triginta testis oculatus, & luculentissimus. *Attamen homo iste* (Rancæus) *solius silentii, & solitudinis studiosissimè cupidus, epistolarum, & officiosarum salutationum multitudine tanquàm fluctu obruitur. Undique variis epistolarum voluminibus sententia ipsius de rebus maximi momenti exquiritur. Hispaniarum Regina literis se & Regna sua ejus precibus commendat, affirmans, se in eis plurimùm confidere. Rex, & Regina Angliæ, & Scotiæ Cancellarius ipsum sibi frequentioribus epistolis Consiliarium adjungunt, eique ambiunt sociari. Eadem planè est agendi ratio Principum Germaniæ, & Galliæ Procerum, qui summo sibi honori epistolas Rancæi ducunt. Singulis annis Rex Angliæ, & Ducissa de Guisia ipsum invisunt. Dux Aurelianensis Ludovici Decimi quarti frater unicus amantèr etiam eum adire dignatur. Eminentissimus Sacri Collegii Decanus Bullionius ipsum cum Monachis colloquentem audire percupit. Manu propria Sabaudiæ Ducissa ipsi scribit. Quo eum honore afficiunt Magnus Dux Hetruriæ, & Regiæ Celsitudinis Uxor Regia, necnon plurimi ex Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, & Legatis*

Apostolicis. Rex Lusitaniæ suum apud Regem Christianissimum Oratorem ad Ranceum allegat. Episcopi, Duces, ut verbo dicam, Regni universi Proceres explere animum suum exoptant, ea inspiciendo, qua Rancaus in Monasterio restauravit. Nonnullis itineris suscipiendi causa est sermo cum ipso habendus; quibusdam autem unicum desiderium ipsum cominus aspiciendi. Nec dubitandum est, quin ad eum probè accommodari possit, quod de Salomone, & de Divo Bernardo scriptum reperimus, scilicet, universam terram vultum ejus desideravisse, ut audiret sapientiam, quam Deus in ejus corde dederat. Monachus hospitibus excipiendis, & procurandis præfectus advenientes hospites aliquando numerare volens, se sex millibus unius anni spatio, cœnam antepostuisse deprehendit. Centum viginti quinque rursus Rancei visitatores intra dies duodecim inventi sunt. Iterùm intra mensem unum mille circiter Ranceum adire voluerunt. Quos inter Femina Principes, Episcopi, & Amplissimorum ordinum Viri plurimi observabantur. Non rarò concurrebat, ut octoginta hospites ad mensam adhiberentur. Credibile non est, quantùm his salutationibus, & epistolis R. Pater Abbas angeretur &c. Hæc ille.

CAPUT UNDECIMUM.

Eminens Rancai humilitas.

SI virum humilem, teste Hieronymo, patientia ostendat; facilè sine dubio Lectori suadebitur, Rancæum injurias non solùm sorbentem, sed etiam concoquentem demissè, atque abjectè de se sensisse. Itaque ne fortè in aper-

apertis rebus multus videar, postquàm descendi ad conditionem ea restringendi, quæ ab aliis dilatata sunt; nonnulla de humilitate placita, aut fragmenta epistolarum Rancæi in medium adducam. Confidens, indè perfectè cognoscendum virum, cujus sermones vivas animi imagines fuisse, seu moribus semper orationem consonuisse, nemo nescit.

1. Non soli vitæ asperitati, sed humilitati Christus Regnum suum promisit. Austeritas nec humilis, nec subjecta ex sui amore, vel superbiâ nascitur. Vitæ vulgaris, & moderatæ, quam obedientia primò componit, unus Dei spiritus causa primaria esse potest. Illâ offenditur Deus, & irritatur; istâ delectatur, & misericordiâ permovetur.

2. Nisi bona, quæ agimus, veræ, & sinceræ humilitati innitantur, inania in arenâ architectamur. Ædificium minimo tentatoris impulsu everetur: & ad nihilum recident labor, & diligentia, quam attulerimus in eo construendo.

3. Obedientia, & humilitas Religiosi Viri præcipuæ sunt dotes, quibus si careat; vitæ quam profitetur, non veritatem habet, sed speciem, & simulationem. Sic reverâ scenicus artifex est. Quæ perfectiora creduntur in vitâ ejus opera, falsæ rerum imagines sunt, & præstigiæ. Cùm Sanctorum pietate, & virtute non ornetur; nec meritis profectò decoratur: & miserandum in modum allucinatur, si eo pacto ad ipsorum præmia, & felicitatem aspiret.

4. Solitarius homo, nec Monachus, nec verè Christi discipulus est, si ea quæ humanam superbiam contundunt non habeat in deliciis, vel saltèm patienter non sustineat. Hoc demto, Christiani natura rectè definiendo explicari

non potest, nec quid sit, Crucem ferre, sine quâ nemo gloriâ coronabitur.

5 Religiosi Viri, qui toto vitæ curriculo despicientiam, & contemtum ambire debent, & quorum fidem vividiorem, & ardentiorem esse oportet, eâ quæ in ceteris Christianis deprehenditur; non satis id habent, si æquo animo, & sine questu injurias patiantur. Ipsos ad alacritatem contendere necesse est. Quod certè nullo negotio præstabunt, si in eâ mente fuerint, iniqua adversariorum judicia, defensiones esse, quibus quo graviùs coram hominibus deprimuntur, eò certiùs Divinæ Majestatis judicio eriguntur. Istud in eis ornamentum præcipuè Deus requirit: & nisi ad illud comparandum contendant, titulo & veste tenùs Religiosi fuerint.

6 Frustrà ad æterna suspiramus, nisi in transeuntium oblivione, & contemtu dies nostri fluant. Quisquis sperat, quantùm tenetur, quæ in terrâ viventium præparavit Deus his, qui diligunt illum, non solum primas sedes in hâc mortis regione non consectatur; verùm etiam quemvis præstantem locum summâ animi contentione declinat. Nullum enim reperies, in quo laqueus, & scopuli non lateant, & acerba pernicies, à quâ vix accuratissima vigilantia servatur.

7 Contingere potest, ut adulterina sint omnia in iis, qui serò de salute putant se cogitare. Operum contemplatio plerumque in errorem inducit. Sola humilitas ab omni errore immunis est: Cùm ab uno Christo eam prodire necesse sit. Producuntur abundè preces, & lectiones; multiplicantur externa charitatis opera: sed perrarò quis totam ætatem in humilitatis sinceræ exercitationibus consumit.

Vi-

8 Vilitatem eorum Deo agnoscere non satis est, nisi etiam quàm demississimè nos eorum hominibus geramus. Deus humilibus eedit: cordique contrito, & humiliato non resistit.

9 Superbo Monacho horribilius monstrum esse non puto.

10 Cùm omnium sermone percrebuisset proxima Rancæi ad Cardinalatum promotio, quam animo destinaverat Sanctissimus Pontifex Innocentius Undecimus, ut indubitatis constat argumentis; hâc de re gratulantibus, sic vatiis in epistolis reposuit Rancæus. Persuasum mihi est, nullum hominem me è statu meo ad ampliorem deducere posse; cùm Deus, ut mea mens est, in eo me collocaverit, ut vitam in eo finirem. Adeò dignitates Episcopi, vel Cardinalis, quibus indignum me semper agnovi, non acceptarem; ut munera Visitatoris, vel Abbatis Superioris, quæ Ordinis mei sunt, planè, & omninò recusarem. Non isto ergà descensionem sum animo. Semper ad descensionem paratus sum, ut subjectissimè pauper Monachus vivere valeam. Si duo, vel tres ex iis, qui incorrupti, & sapientes audiunt, asseruissent, me sinè conscientiæ labe onus Trappensis Abbatis deponere potuisse; (de quo nonnullos etiam num viventes consului, quorum decisione tanquam oraculo pendebam) Deum habeo testem, quod jam ab illo, quem teneo in Monasterio, loco recessissem.

11 Roganti piissimo Episcopo, ut Constitutiones, & Regulam conderet, quam Virgines Deo dicatæ, approbante Sede Apostolicâ, profiterentur; hunc in modum reposuit Rancæus: Existimo, Illustrissime Præsul, ex me Deum solummodo exigere, ut, qui mihi supersunt, dies in silentio consumam; unicè studendo, precibus, & dili-

gen-

gentissimâ vitâ, ejus misericordiæ obtinendæ.

12 Satis mirari non possum, qui fieri potest, ut de me cogitent homines, & dicta, vel facta mea observent; dùm mei memoria oblivione æternâ tot de causis delenda est. Si nos Mundus oblivioni non dat; Mundum saltem oblivione obruere conemur.

13 Si me meliùs novisses, tàm præclara de me non sentires; & tibi haud difficulter persuaderes, me Mundo abstractum, in solitarium locum à Deo abjectum fuisse, quod ad omnia inutilem in Mundo me cognoverit: Quippè cùm ejus gloriæ, vel cultûs promovendi nec dignus, nec capax essem. Nulli conferri possum, quem mihi Superiorem agnoscere non debeam.

14 Mors mihi quotidiè appropinquat; curriculi mei metam jam jam attingo: & quam à me Deus tam severè repetet officiorum meorum rationem, omnibus posthabere videor. Nunquàm finè mœrore reputo, me, cognitâ eorum magnitudine, & immensitate, sic ea neglexisse, ut nihil deprehendam in operibus meis confidentiùs expensis, præter inania terrorem, & pudorem mihi incutientia. Quod prior facere debuissem, aliis prædicavi. Nec dubium est, quin si eis præluxissem exemplo, efficaciùs eos operibus, quàm verbis ad Deum impulissem.

15 Aptiùs Caput istud concludi non potest, quàm ratione, & temperamento, quod Rancæus sequebatur, dùm abjectissimè de se sentiebat. Nè quis forsitan suspicetur, ipsum humilitatis virtutem plus æquo fectantem, ut superbiæ vitium omnimodè vitaret, imprudentèr in contraria cucurrisse. Ingrati sumus, inquit Rancæus, si ea, quæ Deus in nobis operatur, non observemus; perindè atque si illa nobis arrogemus. Et verè gratus est, prout esse,

Chri-

Christianum decet, qui apertè, & ingenuè divinæ misericordiæ munera summâ cum humilitate agnoscendo, illis penitùs afficitur. Licet, seu potius necesse est, juxtà Sanctorum placita, ea animadvertere, quæ à beneficâ Dei manu in nos dimanant. Nec enim per speciem humilitatis inordinatæ, adeò in propriis obcæcari debemus, ut nihil in illis deprehendamus, quod Deo tribui possit. Nam si nuda omninò mala in eis inspexerimus, nec nostri divina cura, vel de salute sollicitudo reluceat; quâ ratione tàm sanctam, & necessariam memoris animi significationem prodemus? Necessariam, & inevitabilem dico. Quià pietas, Dei cum creaturâ assiduum commercium est, in quo Deus effusis spiritûs sui donis, amoris, & paternæ vigilantiæ indesinenter argumenta nobis exhibet: & quæ nobis contulit, continuis gratiarum actionibus, cordium nostrorum affectibus, & operum integritate ad eum referimus.

CAPUT DUODECIMUM.

Demonstratur, Rancæum nunquam non apertum veritatis amatorem fuisse, quod ab omni novitatis specie remotissimum semper se præbuerit.

CUm veritas, juxtà Spiritûs Sancti, & Sanctorum oracula, sola liberet, sola salvet, sola lavet, & super omnia vincat; frustrà Rancæum alia virtutum ornamenta sibi vindicasse probaremus, nisi eximio veritatis amore in primis suspiciendum eum esse constaret. Quod quidem illi præstare nullo negotio possemus viâ tritâ procedendo; cùm cumulatissimè impleverit, quæ vir disertissimus his verbis veritatis studioso præscripsit: qui veri-

tati studet, abjiciat inimicas, ac anxias voluptates, quæ animum sibi vinciunt: præferat vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod justè, quod piè fieri videas: Nihil auditu suave, nisi quod animam meliorem, teque reddat.

Verùm compendiosor, & nobis opportunior ea est, quâ sinè ambiguitare ostendendo, Rancæum à novitate semper abhorruisse, certiùs veritatis cultor palàm manifestatur. Porrò Raneæum ab omni novicio dogmate, alieno, & averso animo fuisse, licet jam satìs superque demonstraverimus Capite Decimo & tertio libri superioris; ut tamen morosis faciamus satìs, & quamcumque à viro egregio, in re tanti momenti propulsemus suspicionem, eam hic iterùm extremis saltèm digitis attingemus. Inter novicia inventa, quæ florente Rancæo, rumore pessimo flagrarunt, periculosiota sunt, ut ego stans Ecclesiæ judicio censeo, ea quæ ex Jansenii Iprensis libro, cui titulus *Augustinus*, & Molinos Hispani Præsbyteri Diœceseos Cæsaraugustanæ operibus excerpta sunt. Quàm consideratè in utrâque causâ se Raneæus tractaverit brevitèr, & sinè arte æquo lectori indico, ut indè illibata fides ejus emineat.

De primâ sic loquitur agens de Episcopo Alectensi, de quo supra Dominus de Maupcou Doctor Theologus, qui primus omnium, Rancæi quo plurimùm fuerat usus, vitam sincerioribus monumentis ad omnem memoriam commendavit „ Quæstionum de divinâ gratiâ, inquit ille,
„ jam fuerat multus, & tunc temporis major rumor erat.
„ (Anno 1660.) Præsertìm Alectam iter Rancæus habuit,
„ ut de hac materiâ eum Episcopo colloqueretur. In tor-
„ rentis ripam duas sellas brachiatas avehi jusserunt, ut commo-

„ modiùs confabulari possent. Universa attentiùs excusse-
„ runt: rei originem, progressum, & exitus perpenderunt.
„ Sanctæ sedis sententia, quam tot in Conventibus mo-
„ mento suo ponderaram Præsulum numerosa, & potens
„ cohors animo volenti acceperat (quamvis decretis Pontifi-
„ ciis nullum indè novum robur accederet) vehementer
„ Alectensem Episcopum commovebat, firmamque Ran-
„ cæo afferebat opinionem, se rectè, atque ex ordine om-
„ nia, qualibet datâ occasione, egisse, præcipuè verò formulæ
„ à Summis Pontificibus indictæ subscribendo. Denique,
„ Pontificiis Constitutionibus, Decretis Episcoporum, to-
„ tiusque etiam corporis Sorbonæ statutis, obedientissimum
„ se profitebatur. Hâc mente tunc Alectensis Episcopus
„ erat, semperque unâ, & eâdem Rancæus fuit. A senten-
„ tiâ ut pissimus Abbas discederet, nonnulli postea acriter
„ sollicitaverunt. In exemplum ipsi continuò Alectensem
„ Episcopum proponebant. Sed apertè reponebat, aliter
„ sensisse Præsulem, dum illum in torrentis ripâ consuluerat;
„ omninò sibi constitutum esse, arctissimè, quandiù spiraret
„ universis Ecclesiæ decretis, hâc etiam in parte adhærere.
„ Cùm nullo certo argumento adversarii inniterentur, &
„ antiquis Alectensis Episcopi secum sentientis momentis
„ tota vis inconcussa maneret.

Hoc testimonium historici Viri, cujus opus Ludovico Decimo quarto Regi Christianissimo dedicatum, & oblatum est, non amicitiæ vel adulationi, sed limatæ, & exploratæ veritati, quæ nunquam latet, tribuendum, paucis quidem, sed meridianâ luce clarioribus ostendo.

Antequàm vitam solitariam Rancæus profiteretur, inviolatè Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decretis ipsum obtemperavisse liquet. Nam ea omnia probavit, & subscriptio-

ne suâ munivit, quæ gesta sunt in Conventu Generali Cleri Gallicani anno 1656. in Jansenii negotio, cui delegatus erat. Nemo autem nescit, frequentissimos Præsules summo cultu Breve Sanctitatis suæ ad eos directum excepisse, & declarasse, in quinque propositionibus doctrinam Jansenii in libro, qui inscribitur, *Augustinus*, contentam, constitutione, & decreto Sanctitatis suæ 30. Maji 1653. damnari: eosdemque decreto peculiari renovasse, & confirmasse illa, de quibus deliberatum fuerat in tribus Conventibus Annorum 1643. 1654. & 1655. Ex quo verò se ex hominum societate subduxit Rancæus, his de rebus eo modo mentem suam aperuit, quo cuicumque æquo rerum æstimatori satisfactum iri confido. Quibusdam articulis occasione hæreseos Jansenianæ sibi propositis sic reposuit Rancæus „ Ad primum declaro, me simpliciter subscripsisse Constitutionibus Pontificiis de damnatione libri Jansenii, non distinctis materiis, vel separatis. „ Credidi, & nunc etiam credo, propositiones à Summis „ Pontificibus damnatas, in operibus, & in sensu ejusdem „ Autoris reperiri. Non quod id mihi experientiâ compertum sit, vel quod ea propriis oculis deprehenderim (ut „ me profiteri debere nonnulli contendunt.) Cùm Jansenii „ opera nunquam legerim. Sed quia sic à Summis Pontificibus definitum est; & existimo, Deum, Ecclesiæ capiti auxilium, lumen, & præsidium eximium præbere non solum in iis, quæ ad dogmata pertinent, dirimendis: sed „ etiam in iis, quæ fidei ædificationi congruunt, & quæ ad „ populorum directionem, & Ecclesiæ gubernationem spectant.

Quis unquam, amabo, in Jansenium significantiùs dixit?

Sed

Sed ut quid Rancæi defensionem suscipio, à quo omnis culpæ nævum illi ipsi, quos Jansenianos vocant, depulerunt? Quàm magnificè de Collusoribus, & loquantur, & sentiant, quàm sordidè, & illiberaliter de dissentientibus, & infensis, omnes norunt.

Hoc semel posito, lector diligens recognoscat, quàm mordacibus scriptis districtum se Rancæus viderit, postquam celebrem ad Marescallum de Bellofonte Epistolam scripsit. Discutiat, quanta negotia illi nonnulli conflaverint, quanta in eum maledicta congesserint, quam inconstantissimè dictis illum acerbissimè irriserint, simul ut vulgata sunt, quæ ad Abbatem Nicaise die 2. Septembris Anni 1694. de Arnaldi morte Rancæus sinè fuco scripserat.

Unicum quidem, sed æternum hujusce rei specimen, & argumentum habes Pag. 308. vitæ ejusdem Arnaldi; quo semel perpenso, certissimum tibi erit, graviori actione cum hostibus capitalibus Jansenianos confligere non potuisse, quàm cum Rancæo conflixerint. Epistolam, seu rectius, libellum famosum, cui Quesnellii nomen autoritatem scilicet addidit, & celebritatem optimâ fide penitùs hìc exscriberem, nisi mihi horrificus conviciorum, & ineptiarum acervus stomachum moveret. E vilissimo tamen Centone nonnullas detraham lacinias, quibus artificis mens, & industria facili negotio dignoscetur.

„ Quocumque modo, inquit, (epistola tua in Ant. Ar-
„ naldum scripta) explanetur, nihil menti, & pietati quam in-
„ duere debuisses, eâ contrarium magìs videtur. In illâ quippe
„ illustrioris defuncti famam vehementissimè percellis: pau-
„ cissimisque verbis longè majorem Ecclesiæ Christi vastita-
„ tem infers, quàm ei atrocissimi, & infensissimi hostes un-
„ quàm inferre potuerint....... Verbis expedire non pos-

„ ſum, quantùm mirentur omnes, quod, lugente Iſraële ſplendidiſſimum lumen exſtinctum, & de medio ſublatum pretioſiſſimum coronæ ornamentum; tu ſolus lætitiæ, & triumphi incitamentum arripere videaris, & deſideriorum metam attigiſſe. Si moriente viro perquàm celebri (Arnaldo) iiſdem gemitibus perſonare loca deſerta noluiſti, quibus perſonare voluit Sanctus vir Antonius, mortuo Divo Anachoreta Paulo. Si quo mœrore, & conſternatione viri timentes Deum in exſequiis Sancti Stephani affecti ſunt, tu eodem affici in Arnaldi funere dedignatus es; vel tandem &c....... Scrutator cordium unus Deus. Verùm totâ viâ errant varii, niſi hinc rectiſſimè inferatur, te paulò nimiùm politicæ ſcientiæ ſervientem, ſcire uti foro; in te humanas etiamnùm rationes dominari: quamvis ab iis ſummè abhorrere debeant illi, quibus ſufficit inter Chriſti Servos annumerari. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem &c...

Tandem infinitis propemodùm maledictis vexato Rancæo, autor effrenatus Epiſtolæ finem imponit, hoc in Rancæum telum intorquendo: *Miſerrimi hominum, in pannis, & ſemicinctiis, de cavernis dicimur judicare mundum: Sanctis qui in eo laudabiliter vivunt, impudenter detrahere, & de umbrâ noſtræ ignobilitatis, mundi luminaribus inſultare! Itane ſub veſtimentis ovium, non quidem lupi rapaces, ſed pulices mordaces, imò tineæ demolientes; bonorum vitam, quia palàm non audemus, in occulto corrodimus? Quid nobis prodeſt tanta in victu noſtro parcitas, & aſperitas, in veſtitu notabilis illa vilitas ac diverſitas, in opere manuum quotidiana deſudatio, in jejuniis, & vigiliis jugis exercitatio? Miſer ego homuncio, graviùs cruciandus! Siccine ergo non inveniebatur nobis vita, ut*

ita

„ ita dicam, utcumque tolerabilior ad infernum, si ita ne-
„ cesse erat ut illò descenderemus? Cur saltèm de gaudio,
„ & non de luctu ad luctum transiremus?..... Quid facit superbia sub pannis humilitatis Jesu? Bern. Apolog. ad Guillel. Abbat. Cap. I.

De tam præclaro, si superis placet, Jansenianorum fetu sic loquitur Eminentiss. Sanctæ R. Ecclesiæ Cardinalis le Camus, in Epistolâ Anno 1695. Decembris 11. ad Ran-
„ cæum inscriptâ: Vehementissimâ certè indignatione mo-
„ tus sum (inquit Eminentissimus Ecclesiæ Princeps) lectâ
„ Epistola, cujus edendæ tua de Domini Arnaldi morte
„ ansas dedit. Sed virtute, & famâ major es his obtrectatio-
„ nibus, quæ de honestate, & existimatione tuâ nihil de-
„ trahent apud eos, qui tecum consuetudinem junxerunt.

CAPUT DECIMUM ET TERTIUM.

Ejusdem argumenti continuatio.

Etiamsi in gratiam Rancæi arma nobis decretoria suppeditent, quæ variis temporibus emisit opera, in quibus principia statuit prorsùs opposita Jansenianis; validiora tamen fortè videbuntur, quæ hic gratuitò, & citrà necessitatem producturus sum.

Inter aculeatas Epistolas, quas ad Rancæum scripserunt ii, qui cum ipso in causâ Jansenii non sentiebant, duæ primas habent, quas à severioris moralis alumnis prodire potuisse quis crederet? Asperis eum præsertim insectationibus urgent, & ardentèr ipsi instant, ut fateatur, se stultè, & absurdè Formulæ summorum Pontificum subscripsisse; homines Regi suspectos è Trappensi Monasterio non fuisse pellendos: & Jansenianorum factionem nihil aliud esse,

quàm

quàm fœdus hominum ad veritatis defensionem conspirantium, quorum consociatio diversa non est ab eâ, quæ primis Christianis objectabatur.

Fusiori viri insignioris Epistolæ, quâ acriùs agitandus Rancæus credebatur, illicò & fidenter rescripsit hune in modum „ Intento animo, quantùm potui, consideravi „ Epistolam, quam mihi scripsisti. Et sincerè fateor, quod „ perpensis illis, quæ complectitur, momentis, & coràm „ Deo diligentissimè ponderatis, tantùm abest, ut de præ„ teritâ agendi ratione minimum mihi dubium, vel religio„ nem incusserint in iis, de quibus agis; ut contrà firmius, „ & certius mihi fuerit, divinæ voluntati me paruisse in his, „ quorum perseverantiam, ut ad mortem usque retineam, „ frequentes conscientia consulta stimulos admovet. Eâ in „ sententiâ persto. Vehementèr doleo, mihi non licere „ tuam amplecti: & hâc occasione significare tibi, quod quâ„ vis aliâ efficerem, me verè, & reverentèr, &c.

Hoc profectò ad Rancæum ab omni pravâ suspicione purgandum nihil valentius esse potest, demto constantissimo, & assiduissimo Ludovici Decimi quarti præsidio, toto quinque suprà triginta annorum tempore Rancæo beneficentissimè concesso. Cujus indubitatum indicium est, Rancæi Filiorum triplex ad Trappensem Abbatiam Regia nominatio, quam juribus aliquid detrimenti afferre Rex oculatissimus perspiciebat. Porro nulli, ut arbitror, nè per somnium quidem veniet in mentem, Rancæum novitatis suspectum, tantam sibi existimationem collegere potuisse apud Religiosissimum Principem, cui redivivus Leo multis decessorum superior, nulli secundus, nisi fortè tempore, Clemens Undecimus Ecclesiæ clavum feliciter tenens, sanioris antiquitatis amorem, & profanæ novitatis

tis infinitum odium laudi eximiæ potissimùm dedit.

Nos his discutiendis satìs admodùm immoratos fuisse intelliget quisquis hanc legerit Epistolam Reverendissimi Patris de la Chaise Societatis Jesu rerum testis locupletissimi,& incorrupti. Nuncianti novo Monasterii Trappensis Abbati, Rancæum naturam ipsam satietate vivendi explevisse, sic respondit die 30. Octobris 1700. Vir religiosus Rancæi semper amantissimus: „ Reverendissime
„ Pater. Acerbior esse non potest, quàm mihi fuerit detri-
„ mentum, quod moriente Sancto Abbate vestro accepistis.
„ Ipsius exempla non solùm in pissimo Monasterio vestro,
„ sed etiam in universo Orbe Christiano diuturnum fru-
„ ctum ferent. Rex, cui pretiosam in conspectu Domini
„ mortem hanc narravi, verè eâ commotus est, necnon il-
„ lis, quæ ad Regiam ejus Majestatem defuncti nomine re-
„ tuli. Domus vestra grata Deo erit, & Ecclesiæ magis, ac
„ magis prælucebit exemplis, dum juxtà integerrimi Repa-
„ ratoris mentem, & præscripta omnia in ea ordinabuntur,
„ & componentur. Eamdem semper tibi fiduciam esse volo
„ in sincerâ meâ voluntate, aliquid adjumenti ad sancta tua
„ desideria conferendi, & tibi seorsùm planè demonstrandi,
„ me perfectè &c.

Rebus singulis insistere per otium non licet: undè cùm ea, quæ ad primam causam spectabant, paulò nimiùm pressrimus, de secundâ obitèr dixisse sat erit, doctiores, & nobiliores curiæ Romanæ, & Cleri Gallicani Præsules Rancæo autores fuisse, ut in infanda Molinos, ejusque sectatorum dogmata calamum sumeret. Quod ille modestissimè abnuit; operam multò pretiosius impensam iri existimans in revocandis à certissimo exitio iis, quos error incautus, durum præjudiciorum imperium,

inscitia, vel præpropera festinatio præcipites agebant. Sanctius consilium multi laboris Rancæo fuisse, maximæque utilitatis Christi fidelibus certò Romæ, & Galliæ novit.

His, & similibus indefessam, & patientissimam operam dante Rancæo, divulgatus est liber, in quo periculosius venenum obrepebat, quod cautiori modo, & sub sanctioribus integumentis delitescens offerretur. At perspicacissimus Rancæus repentè mentem, & errata Autoris, aliàs eruditissimi, & dignitate summâ conspicui lynceis oculis introspexit: & Zelo Domûs Dei incensus nervosissimas duas Epistolas in portentosa placita, quæ perperàm, & injustè sanctis adscribebantur, ad Meldensem Episcopum scripsit.

Prolato Episcopi Meldensis, & Autoris ejusdem libri de utrâque Epistolâ judicio, huic capiti finem imponemus. Cùm Rancæus quereretur, quod ipso inconsulto, & invito utraque Epistola emissa esset; hunc rescripsit in modum Meldensis Episcopus, „ Tuas in eos, quos *Quietos* „ vocant, Epistolas vulgari animus non erat. Sed &c. Hine „ factum est, ut publicatæ fuerint: & affirmare possum, Ec„ clesiæ vehementer eas probatas fuisse. Romam usque ma„ narunt, ubi lætitiâ exultaverunt probi omnes, sicut alibi, „ cognitâ Urbium, & Parœciarum cum deserto concor„ diâ &c.

Autor verò libri, in quem Rancæus Epistolas scripserat, iis lectis, variis amicis dixit: „ Valdè doleo, me à vi„ ro (Rancæo) quem tanti facio, tàm severè damnari. Si „ mihimetipsi has Epistolas inscribere dignatus fuisset; exi„ mii viri (Abbatis Rancæi) sententiæ tanquàm peremto„ rio in me decreto forsàn assensus fuissem.

CA-

CAPUT DECIMUM ET QUARTUM.

Studiosa, & inviolata Rancæi in Sacrosanctam Romanam Ecclesiam pietas.

SUpervacanea esse videntur, quæ de Rancæi in Ecclesiam pietate hic attexuntur, post ea, quæ de fidei ejus integritate jam fusiùs exposuimus. Quomodò enim Petri fidem tàm acritèr tenuisset, nisi pietatis heres fuisset? Quomodo inundatione factâ, & illiso flumine domui ejus non potuisset moveri, nisi pietate, & charitate ornatus, cùm eamdem domum ædificatet, fodisset in altum, & fundamentum super petram, super columnam, & firmamentum veritatis Ecclesiam posuisset?

Nè tamen immodicæ brevitatis studio rerum omnium pondera orationis celeritate rapiantur; dum Lectori negotium facessere nolentes, invito silentio præterimus quæ de ceteris Rancæi virtutibus ornatissimè dicenda occurrebant: hanc saltem, quæ maximè in ipso luxit, ac splenduit, paululùm attingere cogimur. Quò verò planiùs, & breviùs Lectori, Rancæo & nobis satis faciamus, nè verbum quidem sententiis ejus è præcipuis operibus depromtis, & suavissimum pietatis odorem spirantibus addemus, aut detrahemus.

1. Ecclesia Romana, Mater est tantùm charitate, quantùm fide Catholicâ.

2. Non solùm Ecclesiæ decretis obtemperandum, sed etiam minimis ejus propensionibus obsequendum est.

3. Fortunatissimi sunt Christiani, præsertim illi, qui pietate, & scientiâ pollent, quod difficultates, & dubitationes, quibus in Religionis rebus æstuant animi, diri-

mantur à supremo tribunali Ecclesiæ, cujus decretis se finè interpretatione vel responsis subjicere tenentur. Et nisi ejus autoritas illos redderet elingues, studio vincendi, & palmam de adversariis reportandi, in æternum dissidia foverentur.

4. Cùm in Ecclesia contentiones oriuntur, sola ejus (Ecclesiæ Romanæ capiti adhærentis, ut ex contextu) vox audienda, unique ejus autoritati parendum est.

5. Quies, & Securitas Christianorum in Ecclesiâ Catholicâ, in eo posita est, quod sciant, ipsam (Ecclesiam Romanam) à Deo supremam accepisse potestatem; certissimè eam de rebus universis statuere, nulli errori decreta ejus obnoxia esse posse: & unicuique satis esse, si illi credat, & consentiat.

6. Omni asseveratione affirmare possum, inflicta Ecclesiæ vulnera animum meum dolore fodicare, meque paratum esse ad animam libentissimè dandam, illis obsistendo, qui eò veniunt audaciæ, & temeritatis, ut in eam insurgant. Quid habeo, quod à Christo non acceperim? Aut quam operam in ejus cultum conferre non teneor, post tot ac tanta præterita, & quotidiana misericordiæ divitiæ argumenta?

7. Dùm hæc scribo, ait Rancæus, quadraginta & tres in hâc domo, Choro addicti sunt Monachi, quibus Dei cultus, & preces pro Ecclesiâ, & Regno adhibitæ unicum in otio negotium est. Unicuique liberum sit ad arbitrium loqui: hæc certè Religiosorum, & in primis Trappensium summa occupatio est.

Hic observari desidero, Rancæum hæc de Monachis dicentem, attendisse ad mentem Ecclesiæ, quæ ipsos indesinentèr Deum vel placare, vel ipsi supplicare debere centies inculcavit.

8. Haud

8. Haud diù est, cum præcepi vobis, fratres, (Monachos Trappenses Rancæus alloquitur) ut ingruentibus in Ecclesiam urgentissimis necessitatibus, Deum vehementiùs supplicibus verbis oraretis. Nunc vos etiam atque etiam rogo, ut Deo assiduas gratias agatis pro auxilio, quod infinitâ benignitate eidem Ecclesiæ præbere dignatus est. Non singillatim eas vobis nuper narravi necessitates, cùm monui, ut eas Deo commendaretis. Singularium horum eventuum notitia necessaria semper non est hominibus, qui vitam solitariam profitentur. Præterquàm quod de Ecclesiæ necessitatum universitate loquendo vobis, arbitratus sum, nihil ultrà requiri, ut pro eâ, quam vobis imponit professio vestra, parte, iis maximè moveremini. Nec prætereà vobis aliquid exponendum erat, cùm omnia mihi essent explorata, & vestræ omnium mentes meæ conjunctissimæ sint.

Vobis tamen nunc dicere non dubitabo, ut memoris animi vestri significationes inflammentur, urgentes necessitates, de quibus egi, sive pericula, quæ Ecclesiæ, & Religioni impendebant, & quæ gravem afferebant formidinem illis, qui eam omnibus studiis complectuntur, & quorum animus, quantùm debet, ejus calamitatibus, vel commodis afficitur; has, inquam, urgentes necessitates compressas fuisse ab eo, qui prò populi sui custodiâ semper vigilat, & paternâ bonitate sinit se exorari ab iis, qui ad ipsum confugiunt, & fidenter eum implorant. Hoc profectò Dei Omnipotentis manûs propitium opus, nec non infinitæ benignitatis, & mirificæ vigilantiæ, quâ Ecclesiæ necessitatibus providet, manifestum indicium est. Hinc ad debitam ei gratiam mente vividâ, & ardenti continuò persolvendam induci debemus. Ad quod quàm-

fer-

ferventiſſimè præſtandum vos adhortor. Simulque à Deo poſtulate, ut quod incœpit, ipſe perficiat, & faciat conſummationem.

Nàm quamvis ſolitariam vitam, mundo valedicentes, elegerimus, fratres, non ideò Eccleſiæ malis, & neceſſitatibus affici non debemus. Neque diem, neque noctem intermittere tenemur, quin Deum precemur, ut omnia ipſi proſperet. Prementibus eam, vel inſtantibus periculis, & calamitatibus graviter nos affligtari neceſſe eſt. Tunc ad rationes ejus impatientèr adjungere nos oportet, malis ejus mœrere, gaudere commodis, auxilioque ſive à Deo, ſive ab hominibus allato, nunquàm non grates habere illi, qui omnium bonorum autor eſt, & potentiſſimus protector eorum, qui firmâ fiduciâ ſe totos illi committunt.

His ſignificantiſſimis Rancæi verbis addidiſſe, ſufficiat, ipſum quotidiè non interruptè ad ultimam uſque vitæ diem peculiares Divinæ Majeſtati pro Summo Pontifice, & Eccleſiâ militante obſecrationes obtuliſſe. Sed, quod rei caput eſt, ſic hâc in parte Monachos Trappenſes in ſuos mores formavit, ut omnibus virtutibus, quæ in Monaſterio de palmâ contendere videntur, internerata in Romanam ſedem, & ſummum Pontificem pietas longè emineat. Hoc nihil evidentius eſſe ſciunt ii, quibus compertum eſt, quàm volenti animo Summi Pontificis Clementis Undecimi, & Regis Chriſtianiſſimi Ludovici Decimi quarti voluntati ſinè morâ, & tergiverſatione ſubſcripſerint; ſimùl ut eis allatum eſt de decreto Pontificio, quod incipit, UNIGENITUS. Quamvis rixoſus clamor indè in Galliâ excitatus, in deſerta etiam, quæ incolunt, loca penetraſſet. In quo quidèm gloriam Patris filios ſapientes fuiſſe, liquet.

Sed,

Sed, quod hic observari desidero, virtuti Rancæi egregiè hâc in parte responderunt Monachi celeberrimæ Abbatiæ Sanctorum Jo: & Pauli Casæmarii, qui, quò testatior esset eorum in Sacrosanctam Romanam Sedem pietas, hocce monimentum posteris reliquerunt.

Cùm mos iste semper in Ecclesiâ viguerit, teste Vincentio Lirinensi, (a) *ut quò quisque foret religiosior, eò promtiùs novellis adinventionibus contrairet; desormissimis in Sanctam Sedem Romanam illatis portentis, vocem nos contendere necesse est: nè ad periculum eorum, quibus spectaculum facti sumus, intempestiva, & nimia taciturnitas procedat, nevè frustrà nobis de corporeis afflictationibus, restitutisque majorum primigeniis usibus blandiamur, si ab eorum fide, & in Petri successorem Romanum Pontificem pietate degenerantes visi fuerimus. Quis enim integrè, & securè taceat, dum (quod etiam in deserto ad quem nos peccata nostra compulere loco, auditum est) advenerunt tempora periculosa, in quibus insignis pervicaciæ homines nugarum mercatores, censores fidei, non discipuli, subtiliter delirantes, in Salo jactantis erroris, & schismatis fluctuantes, vestigiis oberrantibus nutabundi ac dubii, viarum suarum nescii, hostes quietis, tranquillitatis adversarii, pacis inimici, venenum dogmatum in auro propinantes, faces ad conflanda seditionis incendia, turbines ad facienda fidei naufragia, posito in cœlum ore suo, litigiosis distinctiunculis, stultis, & sinè disciplina quæstionibus, augustissima Christi Vicarii autoritate in trinis omni injuriarum genere lacerata, & discerpta, latum in errores quibus scatent Quesnellii Opera, decretum, quod incipit:* UNIGENITUS, *obtundere, & elevare conantur?*

Ne

(a) Commonitorii cap. 9.

Nè ergo alicui fortè vel tenuissima suspicio interjiciatur, nos aversissimo animo non esse ab his exsecrandarum fallaciarum Architectis, qui tot ac tantis eloquiorum Cœlestium molibus non succumbunt, tantis ponderibus non fatiscunt, tantis malleis non conquassantur, tantis postremò fulminibus non conteruntur; Petri Hereditatem solis fidem Petri tenentibus obtingere posse scientes, & in Petra robusta mole fundati, idipsum libenti animo dicimus omnes: nimirùm, nos alias partes non amplecti, præter eas quæ Christi sunt, ejusque in terris Vicarii Romani Pontificis Clementis XI. Ecclesiæ clavo feliciter assidentis.

Itidem declaramus nos, divinis, quantùm in nobis est, oraculis fidem præstantes, in Patrum consentientem, conspirantem, & continuatam venire sententiam; nempè Romanum Pontificem, etiam extra Concilium, agere pro loco quem tenet, pro dignitate qua pollet, pro potestate quam accepit à Christo, cujus vices gerit, dum jure summæ, & ultimæ cognitionis res ad fidem, & bonos mores pertinentes dirimit: nec minimum erroris nævum decretis ejus aspergi posse propter indeficientes Sancti Spiritus afflatus, quibus ab omni errore aut offendiculo defenditur. Et quidem non sinè causa nihil frequentiùs in ore SS. Patrum, & in primis Bernardi volitat, quàm (a) *ex privilegio sedis Apostolicæ constare, summam rerum ad Pontificis Romani potissimùm respicere summam autoritatem, & plenariam potestatem:* (b) *nullique dubium esse, quin ea quæ Apostolica firmantur autoritate rata semper existant, nec alicujus possint deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari.*

In-

(a) Epist. 198. quæ est ad Innocentium II. (b) Epist. 337. ad Innoc. II. in personâ Galliæ Episcoporum.

Insuper uno animo censemus, nihil planè roboris, aut vigoris Pontificiis decretis ex consensu, & acceptione, seu, ut aiunt acceptatione populorum, Ecclesiarum, aut Peculiarium Prælatorum accedere; nec ea tali consensu indigere, ut suos sortiantur effectus. Enimverò omnis retrò antiquitas semper existimavit, quidquid autoritatis Prælati, aut Ecclesiæ ceteræ sibi vindicant, ab Ecclesia Romana dimanare (a) *quæ Universali Ecclesiæ jura sua transmittit: omniumque fidelium mentibus inditum, & quasi insculptum est, ipsos etiam Sanctos Patres in Concilio congregatos, nihil statuere potuisse, juxtà mentem & doctrinam Angelici Doctoris,* (b) *nisi autoritate Summi Pontificis interveniente, sine qua, etiam Concilium congregari non potest.*

Absit ergò, ut in rebus ab Ecclesia Romana (c) *ceterarum capite, & magistra, Duce, Radice, matrice, matricis sinu accuratè perpensis, & sapientissimè decretis liberum unicuique sit habere pro voluntate sermonem. Absit, ut Cœlo tonante, repentes, & lutosæ ranæ obstrepere & crocitare præsumant. Exaltatio siquidem, & inflatio, & arrogans ac superba jactatio, non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur.* (d) *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcunque humano furore instituitur, ut*

V dis-

(a) Johan. Episc. Raven. ad Greg. Papam, Epist. inter Gregorianas 57. lib. 3. (b) Contra impug. Relig. (c) Eugen. Carthag. Episc. & Cyprian. Epist. 45. 48. & alibi. (d) Divi Cæcilii Cypriani verba sunt Ep. edit. Oxon. 43. ad Pamphilum. Ep. 40. in Erasmi. edit. Lib. 1. Ep. 8. loquentis de schismat. ad universam plebem Carthaginensem.

dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedendum; & sermones eorum, velut cancer & pestis fugiendo vitandi. Præmonente Domino, & dicente: Cæci sunt, duces Cæcorum, Cæcus autem Cæcus ducens simul in foveam cadent. Nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat. Pereant sibi soli qui perire voluerunt. Extra Ecclesiam soli remanent, qui de Ecclesia recesserunt. Soli cum Episcopis non sint, qui contra Episcopos rebellarunt. Conjurationis suæ pœnas soli subeant, qui olim secundùm Christianorum suffragia, nunc secundùm Dei judicia, sententiam conjurationis, & malignitatis suæ subire meruerunt.

FORMA JURAMENTI

Præstiti ab Abbate, & Monachis Monasterii Casæmarii

Circà debitam obedientiam Bullæ Pontificiæ SS. D.N.D. CLEMENTIS *Papæ XI. quæ incipit:* UNIGENITUS *&c.*

EGo Fr. Livius Giulini Abbas Monasterii Casæmarii strictioris observantiæ ordinis Cisterciensis me, eâ quâ par est, pietate, & reverentiâ subjicio omnibus Summorum Pontificum decretis, præsertim verò irrefor-

ma-

mabili Constitutioni Apostolicæ SS. D.N.D. CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi, quæ incipit: UNIGENITUS Dei Filius &c. Datæ 6. id. Sept. an. 1713. omnesque propositiones in eâ damnatas, & in sensu in quo damnatæ fuerunt, ex animo rejicio, & damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Ego Fr. Livius qui suprà.
Ego Fr. Hieronymus Gueusset Prior idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Andreas le Noir, idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Malachias D' Ingumbert idem censeo ac juro.
Ego Fr. Carolus Clama idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Antonius Giraud idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Benjamin Paquet idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Robertus le Roux idem censeo ac juro.
Ego Fr. Dositheus Boussart idem censeo, ac juro.
Ego Fr. Silvanus idem censeo, ac juro.

CAPUT DECIMUM ET QUINTUM

Declaratur breviter, quanti apud Viros Ecclesiæ Principes Rancæus fuerit.

NOn aggredimur singula exsequi, quæ Rancæum apud omnes Principes existimatione floruisse demonstrant. Cùm enim plenâ manu illi præconium innumeri tribuerint: infinitâ impedirentur enumeratione, dum varias virtutes, præclara facinora silentio prætermittimus, ut citiùs opusculo finem imponamus. Consilium tantùm est, è nonnullis Epistolis, quæ notis amoris, & studii in eum insigniores sunt, pauca excerpere, quæ ipsum optimum comprobant. Cùm talium virorum laudes, & suffragia sola virtus assequi potuerit. Juxtà eximium Divi Bernardi dictum: *In hoc te bonum probabis, si testimonium à bonis habueris.*

Non hic etiam agimus de infinitis beneficiis, quibus ab Innocentio Undecimo cumulatissimè Rancæus affectus est. Omnibus siquidem est exploratum, tanto studio inflammandis iis, qui in Trappensi Monasterio vigent, usibus Sanctissimum Pontificem incubuisse, quanto in instaurandis, & inducendis Rancæus incubuerat; ex quo intellexit, Abbatem, *Monasticam* in eo disciplinam, prout tempore Sancti Bernardi in Monasterio Clarævallis servabatur adspirante supremi favoris auxilio, stabilivisse. Sic enim Sanctissimus Pontifex in uno ex Brevibus loquitur.

Eidem Dignissimo Christi Vicario de Rancæi valetudine valdè sollicito nunciantibus humillimè Priore, Subpriore, & Cellerario Trappensis Monasterii, eam planè deploratam esse, quod Patri dissolvi cupienti, & esse cum Chri-

Christo suaderi non posset, ut ei necessariam daret operam; Hunc rescripsit in modum Cardinalis Cibo Sanctitatis suæ nomine: „ Admodùm Reverendi Patres. Perjucundæ „ acciderunt Sanctitati suæ literæ vestræ amoris, & „ pietatis erga Virum egregium Abbatem vestrum ple- „ nissimæ ; ac vos plurimùm in Domino commendavit, „ dùm de ipsius incolumitate adeò sollicitos percepit, ut „ sub Sanctissimâ disciplinâ ab ipso restitutâ in Evangeli- „ cæ pœnitentiæ palæstrâ charitatem vestram diutiùs exer- „ cere , ac tandem consummare possitis. Quod fanè fcu- „ ti Sanctitati suæ præclarum visum est in tantâ præsertim „ morum , ac temporum laxitate ; sic in vestrâ virtute „ plurimùm est lætata. Hæc literis vestris rescribere me „ jussit Sanctitas sua , quæ vos , & Monasterium vestrum „ peculiari quodam amore complectitur , & vos amantèr „ benedicit , me interprete , qui vestris apud Deum preci- „ bus juvari cupidus , læta omnia cum Divinæ gratiæ in- „ cremento vobis auguror, Patres Venerabiles . „ Hæc Cardinalis Cibo.

Ad Rancæum ipsum sic Sanctitatis suæ verbis scribit idem Cardinalis Cibo: „ Istam eximiæ virtutis, „ & abstinentiæ palæstram non mediocri Ordinis tui, im- „ mò totius Galliæ bono , & sæculi nostri ornamento ces- „ suram Sanctitas sua in Domino confidit ; qui re antè „ Mundi constitutionem tam piè, ac præclari operis Auto- „ rem designarum , legis suæ jugum suave constantèr, ac „ strenuè ferre docuit;&c. Et aliâ in Epistolâ: Disciplinam „ Regularem in Monasterio tuo ad priscæ Sanctimoniæ „ normam , & ad insigne Cisterciensis Ordinis documen- „ tum , magnâ cùm bonorum omnium admiratione . in- „ staurasti. &c. Illustrissimus iridem Dominus Favoriti

hæc

„ hæc ad Rancæum Innocentii Undecimi nomine ſcribit:
„ In quo (Monaſterio tuo) veterem diſciplinam Regu-
„ larem tanto cùm fructu, & piorum omnium ſolatio tuâ
„ inſigni virtute, ac pietate inſtaurâſti. Illud tibi affirma-
„ re verè poſſum, quod Sanctitas ſua Apoſtolicam, quam
„ inſtituiſti vitæ rationem magnoperè probat. Minimè
„ dubito, quin plures futuri ſint, qui laudent, quàm qui
„ imitentur abſtinentiam, & contemtum rerum huma-
„ narum, quem vos iſtic profitemini. Sed hoc ipſum
„ incitare debet Zelum eorum, quorum opera, atque
„ autoritas tam Sancti operis propagationi prodeſſe po-
„ teſt &c.

Rancæo Innocentii Duodecimi nomine ſcribit Eminentiſſimus Cardinalis Spada hunc in modum: „ Pa-
„ ternitatis tuæ merita Summus Pontifex adeò miratur,
„ ac diligit; ut inter præcipua munerum habeat literas
„ tuas, velut obſequentis animi, ac Religioſi ergà ſe in-
„ terpretes: Præſertim cùm ex eis intelligit, quantâ ſol-
„ licitudine votorum publicè, privatèque res ſuæ per te,
„ tuoſque Fratres apud Deum commendentur. Quod ut
„ ſeduló facias, Sanctitas ſua meis verbis hortatur, monet-
„ que: & in ſimul &c.

„ Diù eſt, Reverendiſſime Pater, (ad Rancæum
„ ſcribit Cardinalis Caſanata) quod eruditionem tuam,
„ vetamque, ac ſolidam pietatem, non famâ tantùm re-
„ ferente, ſed & ſcriptis tuis palàm teſtantibus abundè
„ cognoveram: Monaſterii quoque à te ſummâ cum lau-
„ de inſtituti nomen, ac decus cùm ubique cunctis inno-
„ tuerit, & ad meam inter primos dudùm notitiam per-
„ venit. Quarè te præcipuo olim amore complexus ſum,
„ & admiratus inſtituti tui rationem, enixè optabam, ali-

quam

„ quam occasionem mihi dari, quâ propensissimam hanc
„ meam ergà te, Monasteriique tui alumnos voluntatem
„ in medium proferrem. Cùm ecce datis ultrò ad me
„ literis, ampla, liberaque facultas offertur, tibi palàm
„ testandi, me doctrinam ceterasque animi dotes, qui-
„ bus abundè præditus es, plurimi facere. Maximo in-
„ super in pretio ob renovatas veterum Anachoretarum
„ virtutes apud me esse pietatem tuam, nihilque mihi
„ æquè gratum, ac jucundum contingere posse, quam à
„ Viris probis, doctisque nova in dies ad promovendum
„ Religionis cultum excogitari, ab eisque diligi, ac pre-
„ cibus apud Deum juvari. Librum de Monasticis studiis
„ postremò à te conscriptum, amicissimo Viro ut ad me
„ transmittat, traditum, avidissimè exspecto. Neque
„ enim ambigo, quin consueto tuo eleganti, nitido,
„ nobilique stilo conscriptus sit: Ac præterea reconditam
„ Monasticarum rerum notitiam contineat. Interim au-
„ tem, Vir Clarissimè, tibi maximas ago gratias, atque
„ habeo tùm ob librum peramantèr missum, tùm præser-
„ tìm ob egregiam hanc tuam ergà me voluntatem, ac be-
„ nevolentiam planè singularem; quam ut perpetuam mi-
„ hi serves etiam, atque etiam rogo. Tibique, velim,
„ persuadeas, neminem esse me qui te plus diligat, tuas-
„ que virtutes majori quàm ego faciam, admiratione
„ prosequatur.

Ad Virum eruditum sibi conjunctissimum sic de
Rancæo scribit idem Eminentissimus Casanata: „ Illud
„ autem jucundissimum accidit mihi, quod ejusdem do-
„ ctissimi, ac pissimi Viri Armandi Johannis Librum de
„ controversiâ illâ à se postremò conscriptum, in argu-
„ mentum utique egregiæ ergà me suæ voluntatis se bre-
vi

„ vi ejus nomine ad me missurum esse nuntias. Video
„ enim hoc pacto, me, tuâ operâ, in ejus Viri amicitiam
„ venisse, quem ob eximiam pietatem, ceterasque Re-
„ ligiosi animi dotes omnium ore prædicari audiebam.
„ Et quamvis nullo secum amicitiæ vinculo constringe-
„ rer, in magna semper existimatione habueram, præci-
„ puoque, uti par erat, amore complectebar. Accepi
„ etiam ab eodem eximio Viro literas humanitate, be-
„ nevolentiâ, multisque officiis refertas, quibus hâc simul
„ die responsum reddidi: ejus verò librum, statim atque
„ ad manus meas pervenerit, avidissimè perlegam &c.

Cùm Summus Pontifex gratìs Bullas concessisset illi, quem sibi vivens, accedente Pontificio, & Regio consensu, Rancæus Successorem elegerat, hæc ad eum Eminentissimus Cardinalis Coloredo scripsit: „ Quam-
„ vis Paterna ergà vos Sanctissimi Domini Nostri dile-
„ ctio nullis profectò indiguerit stimulis, ut gratiam,
„ quam ab ipso impetrastis, promtissimo elargiretur
„ animo. Si quo tamen indiguisset, validum Eminentis-
„ simi Cardinalis de Janson patrocinium satìs utique fuis-
„ set. Quapropter præclarè mecum actum est, ut magnæ
„ illi Aquilæ, pullus non incommodus dignatus fuerim
„ adjungi; ut copioso locupletatus fenore, ex modicâ il-
„ lâ, si quæ fuit, cooperatione insumtâ, abundans ve-
„ strarum, quas pollicemini, orationum subsidium re-
„ portarem. Nec immeritò sanè. Nàm si id, quod à
„ Summo Pontifice vobis collatum est, alimoniæ inopum
„ proficit; ego Vir videns paupertatem meam, ditari de
„ micis, quæ cadunt de mensâ divitis, hoc est, de ve-
„ strarum precum thesauro confido. Non ut augeatur
„ census rerum prætèrlabentium; sed ut insiliat in me

spi-

„ ſpiritus Domini, & mutet in Virum alterum, qui ve-
„ ſtrarum virtutum, & ſi eminus calcans veſtigia,
„ uberiùs etiam in dies veſtræ charitatis auxilium pro-
„ mereatur. Deum interim Opt. Max. deprecor, ut bra-
„ chium veſtrum roborare dignetur, non ut poſſitis ſcri-
„ bere atramento; ſed ut ipſo mediante, det protectio-
„ nem ſalutis ſuæ omni populo. Valete.

Si in lucem edere contenderemus ea, quæ honorificentiſſimè de Rancæo reperiuntur ſcripta in variis Eminentiſſimorum Cardinalium Epiſtolis, quas præ manibus habemus; hinc nobis tanti operis condendi ſuppeteret argumentum, ut voluminis juſtam menſuram excederet.

Unum mihi ſupereſt, quod brevi expediam: nimirùm, Nuncios Apoſtolicos Summorum Pontificum mentem, & ſenſus, quorum ſunt interpretes, probè callere. Porrò nullum planè in Galliâ fuiſſe conſtat, qui, cùm Rancæus viveret, ipſi impensè non ſtuduerit.

„ Me in Galliam adventare neceſſarium non erat
„ (ad Rancæum ſcribit Philippus Nicolinius Nuncius
„ Apoſtolicus) ut famâ, & auditione acciperem, quan-
„ ta pietate ſanctiores virtutes in Monaſterio veſtro in
„ continuis afflictationibus excolatis. Tàm ardenti
„ ſtudio, & tantæ humilitatis obſequiis divinæ in eo lau-
„ des celebrantur, ut fama conſtantis, ac gravis diſci-
„ plinæ tàm Sanctæ Communitatis remotas etiam regio-
„ nes peragret: cùm perfectè mihi Legati vices Avenio-
„ ne obeunti cognita fuerit, nec non dum Nuncii Apo-
„ ſtolici munus in Luſitaniâ ſuſtinebam, me ſemper tui
„ obſervantiſſimum variæ iſtæ Regiones habuerunt. Ul-
„ trà hucuſque progreſſus non ſum. Nunc verò Summo
„ Pontifice me dignitate Nuncii Ordinarii in Galliâ coho-

„ nestante; tantum non auderem opus aggredi, nisi priùs „ Divinæ Providentiæ auxilium vestris suffragiis implo- „ rassem &c. Idem Nicolinius hæc in aliâ Epistolâ scribit „ Rancæo: Pia vestra opera, & sancta vestri Monaste- „ rii disciplina mirificum quoddam spectaculum exhi- „ bent. Sancta severitas, quæ in vestrarum exercitatio- „ num seriè relucet, omnibus eam diligentiùs intuenti- „ bus admirationi esse debet. Ego qui jàm pridem in- „ tentiori animo ipsam ponderavi, toto vitæ meæ curri- „ culo tanti te faciam, ut existimationem, quam apud „ me tibi comparasti nunquàm exhaustam iri polli- „ cear &c.

„ Vitæ vestræ ratio, (scribit ad Rancæum unus è „ Nicolinii successoribus nunc Eminentissimus Cardi- „ nalis Gualterius) cujus sonitu mundus tàm vehementèr „ resonat, vos in Cœlo immortali gloriâ corotiabunt. Me- „ rito, ac jure vestris Orationibus tribuam quidquid of- „ ficiorum debilitas mea in Sanctitatem suam, & Regis „ Christianissimi Majestatem conferet. Tuis me jussis „ honestes, velim, quandocumque operam meam tibi „ præbere potero &c.

„ Item in aliâ Epistolâ: Majori consolatione su- „ stentari non poteram, inquit, in acerbo animi dolore „ quem cepi, quam certâ, & exploratâ notitiâ vestræ ad „ Deum pro animâ Fratris mei deprecationis: Minimè „ dubito, quin vestræ preces Deo acceptæ futuræ sint ob „ sanctitatem tùm animi, cùm vitæ vestræ, in quâ pri- „ scorum Christianorum perfectæ virtutis culmen vos at- „ tigisse compertum est &c.

CA-

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Jacobi Secundi Angliæ Regis, & Cosmi III. Magni Hetruriæ Ducis de Rancæo judicia. Epistola Viri pii, & eruditi, in qua tenor vitæ Trappensium Monachorum pulchrè admodùm delineatur.

INter potentissimos Principes, qui Rancæum extrà pretium esse censuerunt, duos eligendos duximus, videlicet Jacobum II. Angliæ Regem, & Cosmum III. Magnum Hetruriæ Ducem, quorum testimonia eò majoris apud omnes ponderis erunt, quò perfectiùs, non solum dotibus Regiis, sed etiam eximiâ pietate, quam in Rancæo celebrant, decorati fuerint. Sic ergò beneficentissimi Principes, quorum voluntas in Rancæum viventem propensissima fuit, de ipso, paucis post felicem ejus transitum diebus, ad Abbatem Trappensem scripserunt.

Primus quidèm: *Me vehementer perculit, & affecit Epistola tua data die 28. Octobris qua Sancti Abbatis nostri mortem nuncias. Quamvis eo se jam pridem haberet modo, quo insperata non possit accidere. Pretiosa semper in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Dubium non est, quin hujusmodi, mors ejus fuerit. Ego quidem, Sancto Viro vitam cum morte commutante, gravissimum columen amisi, non secùs ac omnes quibus, fortunante Deo, usus, & consuetudo cum eo fuit. Nunquam me, ut par est memorem præbere potero beneficiorum, quæ illi debeo, quod me stimulaverit, & excitaverit jacentem cum majori eorum parte, qui in magna hominum frequentia versari coguntur. In eam calamitatem me trahi siveram, licet gravem stuporem casus ingentes discutere debuissent. Nec scio quid de me actum esset, nisi luculentis verbis, &*

exemplis me in bono solidassent Sanctus Abbas, & Filii ejus, quos, ut Orbi Christiano præluceant exemplo, piissimis documentis informavit. Quæ mihi Sancti Abbatis resides misti curaveras, ea in manus Dux de Perth dedit mihi cultu duplicato servanda. Qua de re summas tibi grates habeo. Ceterùm tenere volo pie institutam consuetudinem vos post Paschatis festivitatem adeundi. Id vero renunciari vobis operam dabo. Tantùm Sancto nostro Abbati, & Sanctæ vestræ Communitati debeo, ut quantùm potero, dùm spirabo, omni ope, atque opera vobis significaturus sim, quanti vos faciam, & amem. Sed licèt omnium vestrum gratia ad vos non pergerem; mea tamen mihi commoda stimulos adderent ad hoc ut itèr ingrederer. Exploratum enim mihi est, in solitudinem vestram peregrinationes animum meum in bono confirmare, & reficere: tantaque mihi exempla necessaria sunt, dum ad istas angustias Deus res meas redigi permittit. A te precibus peto, ut ad Deum vota pro me adhibere pergas, nec de mea benevolentia unquam dubites. JACOBUS REX.

Ad hanc piissimi ac Mansuetissimi Regis Epistolam nihil addi posse videtur. Vividiora tamen sunt, quæ de Rancæo Angliæ Regina huic Epistolæ significantèr attexuit. Sed ea hîc non exscribimus, ut saltèm dicere liceat, Jacobum Secundum Angliæ Regem, etiam cùm mors eum occuparet, eodem sempèr ergà Rancæum, & filios animo fuisse. Hunc in modum verbis suis, paucis ante mortem diebus, indixit Duci de Perth ut ad Trappensem Abbatem scriberet: Se beneficiorum à Deo sibi in Monasterio Trappensi collatorum gratissimum esse: Abbati (Rancæo), bonis exemplis, suavissimo Sanctitatis odori, & piissimæ vitæ Trappensis Monasterii acceptum referre

ferre quidquid recti, vel Christianæ pietatis sibi inerat; Trappenses Monachos dies, noctesque amicissimè, & tenerrimè animo sibi repræsentare: Se maximam consolationem invenire in memoriam revocando precum eorum suffragia, quibus se tunc præsertim, & in ultimâ luctatione valdè commendatum esse volebat.

Alter verò nimirùm Magnus Dux Hetruriæ, hoc pacto scripsit: *Domini Reverendi Patris Antiqui Abbatis vestri Sanctus finis plenissimam mercedem tribuit præclaro cursui dierum, quos omnibus modis consecraverat Deo, ad quem unicè cogitationes, & facta ejus spectabant. Servus Divinæ Majestatis eximius, quem universæ Ecclesiæ jure in exemplum rectissimum subjectum fuisse constat, dignus fuit, qui gloriâ compensatos videret in Cœlis labores quos cor ejus amore Divino penitùs affectus tanquam pretiosum æternæ salutis pignus ipsi diligendos exhibebat. Fortunatior nunc est, cum in perpetua felicitatis securitate constituatur. Quod quidem & animos summâ veneratione erga ipsum implere debet, & summoperè incitare ad exploranda exempla sublimia, quæ pietate, & divinæ voluntati consentientibus accuratè sensibus ornare studuit. Animus certè meus dignæ memoriæ ejus summa semper veneratione imbuetur: & persuasum hoc habeo, ardentissimam ipsius in proximum charitatem, quâ, cùm viveret, flagrabat, ipsum instigaturam ad erratorum meorum veniam mihi obtinendam. Vestrarum etiam ad id piarum precum subsidium invoco: & hoc de vobis spondeo, fore ut mihi eas non denegetis. Affirmo vobis, me, quacumque datæ occasione, nihil omissurum, ut perspectum vobis sit &c.*

Denique hîc supponimus Epistolam, quam capitis argumentum pollicetur.

Ani-

„ Animum tuum non explet sermo, quem de „ Trappensi Monasterio habuimus, cùm post confectam, „ tribus abhinc mensibus, piam peregrinationem, Parisios „ me retulissem. Præterea me tibi nunc aliquid de eo „ scribere desideras. Negotium mihi curiositatem tuam „ facessere fateor, nec tamen me movere. Eos in qui- „ bus omnia prodigiosa sunt, insolitis delectari necesse „ est. Tibi ergò morem gerere aggrediar, te, & argumen- „ to meo dignam scribendi rationem ad id usurpando.

„ Monasterium Beatæ Mariæ domûs Dei de Trappâ „ positum est in imâ valle solitariâ, quam densus, & va- „ stus saltus tegit, & varias in partes plurima immania „ stagna dividunt. Sanctam hanc solitudinem montes in „ altitudinem editi, quibus undique cingitur, à pestilen- „ ti mundi aere defendere videntur. Ibi hominibus, quos „ in medio nostrûm similes nobis vidimus, constat popu- „ lus sermone, moribus, & agendi ratione a nobis totus „ diversus. Populus hic in spiritu, & veritate Deum ve- „ ritatis adorat. Superfluis planè spoliatur ornamentis „ templum electum ad debitum Deo cultum exhiben- „ dum: nec auro, nec marmore fulget. Divinitatis sola „ præsentia majestatem confert: Ministrorum pietate, „ & ardenti in Deum studio potissimum ornatur. Ibi ad „ Deum colendum, ac venerandum inter cor, & lin- „ guam optimè convenit. Vox non mittitur, nisi ad Dei „ laudes celebrandas, pia exempla aliis præbenda, vel er- „ rata mutua summâ charitate emendanda. Cupiditati- „ bus mortui videntur ii, qui hanc viventium terram in- „ colunt. Intemperans jejunare consuescit, voluptatibus „ deditus summâ animi contentione carnem crucifigere „ studet, piger laborem diligentèr petit, ambitiosus vi-

„ non officiæ meritis, & viribus suis superiora reputat;
„ avarus thesauros sibi solum in Cœlo thesaurizat: cu-
„ stodia ori maledici, & ostium circumstantiæ labiis ejus
„ semper positum est, sanguinarius solis cupiditatibus
„ bellum indicit; egregiè etiam ingeniosus sui memoriam
„ abolere cupit: innocens nocentium pœnas infligit sibi;
„ nè fortè mereatur; servus fidelis, postquam operatus est
„ in talentis à Domino acceptis, se servum illi inutilem
„ agnoscit: & operarii, qui primo manè in vineam Patris
„ familias conducti sunt, qui pondus diei, & æstus por-
„ taverunt, sibi pares fieri sine murmuratione vident eos,
„ qui horâ tantum undecimâ venerunt. Uno verbo, in
„ ipsis charitati cupiditas locum cessit: nec alios sui amor
„ admovet eis stimulos, si quos forsàn admoveat, quàm
„ quibus æternæ felicitatis præmium quoquomodo sibi
„ properent. In hàc tranquilla mansione, vacuis diebus
„ noctes laboriosæ non succedunt. Cùm in quietissimis
„ habitationibus dies omnes pleni inveniantur, in pace
„ Domini dormiunt, & requiescunt. Sola necessitas abun-
„ dantiam, & victûs mollitiem restringit.

„ Magnificentia in modico, & mundo cultu sita est.
„ His levatur lassitudo, quibus mollitia gravaretur, &
„ angeretur. Omnia indesinenter eodem tramite ibi pro-
„ cedunt. Omnia mirificè inter se disponuntur. Nec
„ difficilè cognoscitur, hominem, cui Deus dedit spiri-
„ tum intelligentiæ, & consilii ad amplissima imperia re-
„ genda aptissimum, deducere populum hunc electum
„ vix ex hominibus centum coalescentem. Novus iste
„ Moyses Israel in deserto sapientem, mansuetum, &
„ constantem se Ducem exhibet. Tantùmque abest, ut
„ sibi repugnantes duræ cervicis homines inveniat, ut po-
tiùs

„ tiùs eos lætè, humilitèr, & amantèr, sibi videat obtem-
„ perantes. Hæc sunt, quæ mihi occurrunt dicenda de
„ novis istis Solitariis, de eorum Sancto Abbate, quos
„ Rex verè magnus in solitudine visitare non est dedi-
„ gnatus. Leve duntaxàt vivendi rationis, & virtutum
„ ipsorum specimen hìc habes; quod certè edendum non
„ suscepissem, post perfectas descriptiones &c.

CAPUT SEPTIMUM DECIMUM.

Imago Reverendi admodùm in CHRISTO *Patris Domni* ARMANDI JOHANNIS BUTTILIERII RANCÆI, *quam Sagiensis Episcopus à se expressam, annuente Rege Christianissimo, cunctis exhibuit attentiùs inspiciendam.*

PErgratum forè Lectori arbitror, si perfectam Rancæi imaginem habeat. Perfectiorem sinè dubio nullibi inveniet eâ, quam scitè reddidit Illustrissimus Episcopus Sagiensis, qui diutius, & sagacitèr exploraverat mentem, mores, & indolem Rancæi, cui suprema celebravit officia, postquam ipsi omnia animi secreta detexit, & coràm eo animam efflavit.

Trappense Monasterium per quinque suprà viginti annos obtinuerat Armandus Johannes le Bouthillier de Rancè, cùm æternâ Dei sapientiâ, & immortali beneficio effectum est, ut illud idem ab ipso in Regulam teneretur. Is procreator, ut ità dicam, simul & Abbas sui Cœnobii fuit. Ædes siquidèm destructæ, desolata claustra, prophanatæ Aræ, templa ruinis, murisque pendentibus horrida; Templum illud ipsum Spiritûs Sancti, quod esse debemus nos, eversum, obscuratum aurum, mutatus co-

lor

lor optimus, lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispersi; Nec sinè novâ quâdam creatione potuissent mundari Sancta, & renovari. Hæc renovatio tandèm aliquando perfecta est fortissimi, & sapientissimi Abbatis ministerio, fuitque pristinæ Cisterciensis disciplinæ Restitutor celeberrimus, & perpetuus Vindex. Nascens exceptus charitum, honorum, dignitatum, deliciarumque sinu, triginta septem annos in Aulâ exegit.

Quo verò tempore his omnibus, quibus affluebat, simul & potentissimi cujusque amicitiâ fruebatur jucundissimè, & majora in dies se se offerebant, vidit, Domino interius erudiente, in istis omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Depositis continuo Ecclesiasticis beneficiis, & transmisso unâ die in Cœlestes thesauros per manus pauperum quadringentarum millies libratum patrimonio, ecce elongavit fugiens alter Arsenius. Ex quo dilatavit Deus cor ipsius, excusso terrenarum opum jugo liberior, exultavit ut gigas ad currendam viam mandatorum Dei in eremo novus Antonius.

Monasticæ vitæ humilitatem, quam horruit, dùm ageret in seculo, major factus mundo, & plus lucis aspiciens, alter Bernardus, eam postmodùm sic amavit, ut nemo hujus instituti præstantiam, & mores altiùs penetraverit, nemo felicius propugnaverit, nemo tenuerit sanctiùs. Quos in omnibus omnium temporum pœnitentibus animos, & disciplinam suspicimus, & miramur, eos omnes in unius Armandi pectore, beneficam Dei manum conjunxisse putares.

Nudam crucem nudus sequens, affatìm divitem esse demonstravit illum, qui cum Christo pauper est. Ejus & fratrum inopiâ, pauperum incredibilis multitudo, si non

Y di-

dives fiebat, mirum faltèm in modum quotidiè fublevabatur. Eo duce, floruit folitudo quafi lilium, & germinaverunt fpeciofa deferti. Ibi lupus, & agnus pafcebantur fimùl, & pardus cum hædo accubabat. Ibi qui infpector eft cordis Deus, fic Armando artem artium, regimen animarum concrediderat, ut videretur hominum corda in manu ejus pofuiffe. Quocumque volebat inclinabat illa. Si quod induratum erat, aut ingravatum, fi quod elanguerat, aut erat exaltatum, emortuumve, ità cœlefti arte, & fpiritu emollit, temperavit, contrivit, fufcitavit, ad Deum reflexit, & tantâ fimplicitate condiit, ut dederit omnibus cor unum, parvuli fimile, qui, Chrifto tefte, major futurus eft in Regno Cœlorum.

Novis cordibus novi imprimebantur fenfus. Indè lex illa nunquàm violanda altiffimi fanctiffimique filentii; indè laus Dei perennis, perpetua jejunia, fomni breves, & duri, labores continui. Indè amor ille pœnitentiæ vividus, quo charifmata meliora fic æmulabantur finguli, ut quamcumque videbant in vitis, librifque Patrum excellentiorem viam demonftrari, eamdem Abbati follicitè proponebant, & amplectebantur tanquàm fibi præceptam. Plùs ergò negotii fuit Patri filiorum ardorem temperare, & edocere eos, quomodò fit pœnitendum ad fobrietatem, quàm tradere præcepta, & leges benè durèque vivendi. Quibus autem hæc æternitatis femina corde condiderat; eos iterùm, atque iterùm quotidiè parturiebat, donec formaretur in ipfis Chriftus.

Erat aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretiofum os ejus. Dederat enim Dominus voci ejus vocem virtutis, & verbum Evangelizanti virtute multâ. Univerfa quædam erat in illo dicendi vis, & ratio omnibus accom-

commodata, nunc meditata, nunc extemporalis, sivè privatim, sivè publicè dicendum erat, æqualis sibi sempèr; ad persuadendum, aut delectandum æquè comparata; promta sempèr, & expedita. Ubique assistebat ipsi, ipsum comitabatur, assidebat ubique, quæ inesse sempèr Rectoribus debet erga subditos, & justè consolans misericordia, & piè sæviens disciplina: & hoc veluti temperamentum non in dicendo solùm, sed & in agendo facilè sentiebatur.

Cùm omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum sit, descendens à Patre luminum, Cœlo referenda esse noverat, quæ de Cœlo essent, & cujuscumque generis forent, sivè innata, sivè labore parta, vel Superioris, supernaturalisque ordinis dona, tantùm pretii habere illa, quantam ex illis Ecclesia ædificationem acciperet. Tot igitur, & tantis in omni genere virtutibus, quas in ipso, omnibus absolutas numeris ætas nostra mirata est; sivè quibus omnis decori, atque honesti ratio, sivè quibus perfecti Abbatis officium constat: sivè exquisita illa politissimaque doctrina, singularis pertractandorum animorum solertia, & simul autoritatis pondere subnixa, simul comitatis lepore condita dexteritas, quâ ii, quorum animi potentibus dictis regendi sunt, ad propriam salutem tàm facilè trahebantur; acumen ingenii, & sagacitas, moderatio, ac sapientia, virtutis perfectissimæ studium, & amor, magnitudo animi: omnis denique rerum intelligentia præstantissima, sive tandèm sermo sapientiæ, & scientiæ secundùm spiritum, fides, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, & quæ omnia operatur unus atque idem spiritus ad utilitatem dividens singulis prout vult: his tanquàm totidem talentis sibi à sum-

mo Rege concessis, sic dùm veniret Dominus, negotiabatur fidelis Servus, & prudens, donec alia totidem talenta, & plura, si posset, lucratus intraret in gaudium Domini sui.

Pro temporum autem, locorum, & personarum ratione suis omnibus sese totum attemperabat, singulis, & omnibus fiebat omnia. Cùm in communi fratrum consessu, & collatione de Regno Christi, ubi non sicut per speculum in ænigmate, & ex parte, sed facie ad faciem videbimus; cum de futurâ beatitudine, de gloria cœpisset disputare venturâ, aliisque similibus, sicut suus mos erat, vidisses cunctos quasi ad Cœlum sequentes, moderato suspirio, & oculis ad patriam levatis intrà se dicere: Quis mihi dabit pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam?

In quotidianis verò suorum Capitulis, ubi de instituendis, & perficiendis moribus agitur, erat ille docens sicut potestatem habens. Potestatem scilicet eam, quæ solius Christi ministrorum est, & illorum magis, qui Christo intimè adhærentes perfectiùs induerunt Dominum Jesum.

Jesu bone! quàm vehemens, & gravis, grandisque exurgebat oratio! Quàm magnifica vox Dei in illo concutientis desertum, & confringentis Cedros! Quomodò accipiebat armaturam Zelus illius! Qui tùnc dicentes ardores, quæ flammæ! Quasi leo sic erigebatur, nec accubabat, donèc devorasset prædam. Et si quæ forsàn veteris Adam reliquiæ occurrebant; si quid in filiorum vitâ, aut subcommune, vel certè minùs perfectum videbatur, non cessabat donec illud mactasset, & sanctificarentur filii. Charitas Christi urgebat eum. Sive mente, ut ità dicam,

ex-

excedebat Deo; sivè sobrius, & attemperatus erat, suis: & vel ille in eo furor de charitate erat. De eâ nimirùm, charitate, quæ excellens, & plena animorum, simul & ingenii, suis sempèt intenta, mole licet suâ stans, & eadem semper in se manens, varias tamèn pro illorum bono formas induit. Eo sic tonante, quàm profundum apud omnes silentium! Tota dicentis laus in fletu erat audientium. Tacitæ volvebantur per ora lacrymæ, & in singultus erumpebat dolor.

Jàm verò postquàm domum se contulerat Benjamin, qui lupus rapax manè comedit prædam, vesperè dividebat spolia. Nempè relicto in Capitulis Leone, agnum suavitate, sollicitudine patrem omnes, & singuli experiebantur. Quantâ gravitatem morum frontis hilaritate temperabat! Quàm facilis ad patrem patebat accessus! Quàm alacres convolabant filii ad domesticos illos congressus, in quibus, sinè ullâ personarum acceptione, quisquis à summo ad minimum summâ jucunditate excipiebatur: quæ solemnis ejus fuit, & omni tempore religiosissimè servata consuetudo! Ibi familiarissimæ, & suavissimæ collocutiones, æqualitas præclara, idem sempèr vultus, eademque frons. Ibi dilatabantur mutuo spatia charitatis, aperiebantur intimi animorum sensus, languores omnium ferebantur, dabantur solatia, addebantur animi, & flammæ. Ibi, prout cujusque bonum, & utilitas postulabat, singulos proprio fovebat sinu, ut arbitrarentur, se recuperare in ejus visceribus, & paternas opes, & materna viscera, & pristinas necessitudioes, se quoque ipsos, atque omnia, quæ reliquerant, secuti Dominum.

Mortificatus quidem carne, vivificatus autèm spiritu, tantâ charitate fratribus singulis convivebat, ut vide-

deretur vivere ipse, jam non ipse: vivebat autèm in illo Christus, & omnes quos Christo lucrifecerat.

Vixit Summis Sanctissimisque Pontificibus charus, & quò plùs cupiebat latere, & nesciri, atque reputari ab hominibus in solitudine velùt in sepulchro mortuus, eò frequentiùs, Deo sic disponente, de toto hùc Orbe concurrebatur, de cunctis populis, & à Regibus terræ, ad audiendam sapientiam ejus. Aperiebat autèm ille divinâ quâdam ratione omnibus, qui volebant vitam ingredi, quomodò servanda sunt mandata. Quod alitèr Reges Deo serviunt, quià homines sunt: alitèr, quià sunt Reges. Serviunt ut homines, serviendo fidelitèr; serviunt autem Domino in quantùm Reges sunt, cùm ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges: vel cùm pro summo Dei, per quem regnant, beneplacito, Regi Regum offerunt corde magno, & animo volenti, quæ soli Reges, & quidem magnanimi, offerre in sacrificium possunt. Eâdem prorsùs ratione, quia eodem spiritu, explicabat quomodo singulis, pro suo statu, & ordine, Christus est via, veritas, & vita. Videbantque oculis suis, & probabant, majorem esse sapientiam, & opera ejus, quàm rumor, quem audierant.

Sapientiam simul, & pœnitentiam magnificè tractavit. Spes ejus immortalitate plena fuit. In dicendo, scribendòve, non eloquentiam peccatricem ostentavit. Sed sermo ejus vivus, & efficax, Sacramentorum Dei sui, & mysteriorum eruditissimus, scripturarum sale conditus, non diserta modo, sed fortia, & Divinum sempèr aliquid sonans.

Nobilem ipsum Ecclesia, & solitudo habuerunt, ut priùs Aula habuerat. Summo sanè studio suos hortabatur, ut

ut non sua solùm, sed se quoque ipsos ità perfectè abnegarent secuturi Christum, ut Atheniensibus dissimiles, qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi, ipsi contra sic Deo vacarent, ut facerent fœdus cum oculis, & auribus suis, ut ne cogitarent quidem de aliis omninò rebus.

Nec minùs feliciter scribebatur, non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, lex illa à Christo data, de Religione, de fide, & pietate Christiana in Regem, in Patriam, in Suos. Mira quadam ratione explicabat suis Abbas, qui fit, ut quò plus Christi sumus, plus noster sit Cæsar, & eò plus tenemur Cæsari, ut nostro, operari in salutem. Ità piè, & religiosè Episcopos, & præcipuè Diœcesanum veneratus est, ut nemo magis. Optabat cum Divo Bernardo centum habere Pastores, & ut ille, nec semel scripsit, se, nisi priùs Summi Sacerdotis Romani Pontificis vel consilio, vel judicio, in difficillimis rebus confirmatus esset, securum non esse.

Forti, & libero animo, cum constantiâ, & æquabilitate per bonam famam, & malam, à dextris, & à sinistris Christi servus gradiebatur. Ità tenuit primum locum, ut appetierit in novissimo loco recumbere. Igitur abdicatâ dignitate, non animo Pastoris, totum sese boatæ servituti reddidit: atque tantâ perfectione, & sanctitate obedivit, quantâ præfuerat. Deus immortalis! Ad conspectum, & considerationem tantæ virtutis quantus furor adversarii nostri! Quæ artes! Qui rugitus istius leonis, qui circuit terram, & perambulat eam, quærens quem devoret!

Scilicèt eo die, quo servus tuus non modo omni dignitate, sed etiam libertate, se volens abdicavit, non-

quæ-

quæsita tantùm, sed acquisita beata servitus, nova quædam fuit, perfectaque omnium, quæ in eo benefica manus tua posuerat, virtutum consecratio. Stabat ergo succinctus lumbos in veritate, indutus loricam justitiæ, & fidei. Sumserat scutum inexpugnabile humilitatem, ut posset resistere in die malo, & in omnibus perfectus stare adversùs insidias Diaboli.

Tum verò, Domine, mirabilis in sanctis tuis, qui magnificas hominem, & apponis ergà eum cor tuum, visitas eum diluculo, & subitò probas illum, præparaveras ad tentationem animam provecti ad eum gradum.

Noveras Athletam tuum, imo Virum fortissimum, quià humillimum, in isto etiam extremo perfectoque certamine non posse superari, quem senectus Christo occuparat servientem, quem extrema dies inveniret militantem Salvatori. Jamque exultans in victoriâ famuli tui, & ejus patientiam tuum ducens triumphum, permisisti, ut totis adversùs illum cuneis dimicaretur.

Inter tot, & tanta præsentis belli discrimina, multò sanè periculosissimum illud fuit, quod artibus hostis callidissimi, & inveterati dierum malorum, trahi potuit ex illâ occasione, quæ eò magis præceps erat, quò dulcior, & quod prospera sunt magis formidanda. Scilicet à temporibus Francisci Primi hocce Monasterium in commendam obtinebatur. Summa maximi Regis religio, Abbatis postulationi concessit, ut hoc idem à Regularibus teneretur. Simul ab Optimo Principe ultrò delatum est Armando, ut ipse seligeret Viros de suis, quos cognosceret Monasterii regimini pares.

Existimavit quippe Rex Sapientissimus, administrandi Monasterii genium, Spiritum hunc principalem, quo

quo singulari Dei beneficio in primis confirmatus erat Abbas noster, profundum quoddam esse, & solidum fundamentum, quo ad Sanctitatem, & immortalem gloriam nitatur tota Domus: istud verum esse, & futuris longè Abbatibus destinatum patrimonium. Hanc paternæ substantiæ portionem, quę quemque successorum contingeret, & quam si quis forsàn, quod absit, adolescentior dissiparet, inciperet illicò egere.

Ex quo tanti Principis judicio, & existimatione, quantùm ad extollendum, & inflandum hominem periculi nasci poterat, vel ex hoc intelligi debet, quod flagrantissimum semper fuerit Abbatis adversùs Principem studium; quod ipsius mentis aciem perstrinxisset summi Regis fulgor: quod totum illius pietas ac beneficia devinctum haberent. Quantum ergo fecisset, Deus Optime, hâc in occasione humilitatis periculum mortalis ad summa quæque natus, nisi major adhùc fuisset gratiæ tuæ beneficio, quàm nascendi felicitate! At ecce, ne magnitudine beneficiorum extolleretur, tu aderas, Domine, misericorditer sæviens: pater enim es, crucias & amas. Vix etenim successorem conjunctissimum, & amicissimum ad Abbatialis loci gratiam, ex Principis bonitate devocavit, cum immaturâ morte præripitur: majorque primogenito suo dedit locum in sepulchro suo, quod ipse sibi fuderat.

Defuncto vix successit alter eodem Optimi Regis favore, cùm Divina providentia aliter omninò disposuit. Namque eodem fermè tempore providendum fuit de novo Successore Abbati iterùm, iterùmque submittendo; idque perdifficili, & arduo prorsus labore.

Interea Deus & Pater Domini nostri JESU CHRISTI

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ponebat in conspectu servi sui mensam adversùs eos, qui tribulabant eum; impinguavit in oleo caput ejus: calicem, quo ille inebriatus erat, quàm præclarum effecit, & novâ quâdam dulcedine attemperavit! nempè Rex optimus, Abbatis electionem Armando tertiùm detulit.

Ille autem ipse honos novum quoddam fuit probationis, & tentationis genus. Quis enim non sentiat in honorifico illo, & constanti tanti Principis de Abbate judicio, quàm blandæ illecebræ, quanta erant ad extollendos animos lenocinia? Quibus, quæ non virtus emolliri, & frangi quodammodo poterat? At divinâ providentiâ, & curâ effectum est, ut indè, & Regis gloria simul, & Monasterii regimen, & Patris sanctitudo confirmarentur. Cùm enim infirmatus est, tunc potens fuit; vigilavit, viriliter egit, stetit in fide: potens namque fuit Deus statuere illum.

Indè quasi ex altitudine divitiarum Dei, novas vires hausit: incredibilem illam virtutem, quæ ipsi, tùm erat maximè necessaria, ut Christo dignus, Christum sequeretur, bajulans Crucem illam gravissimam sibi impositam, quotidiè, vel usque ad calvariæ locum, idest, ad extremum vitæ spiritum deferendam.

Vehemens dico illud vulnus, quod tetigerat os, & carnem ejus, ut nimirùm nihil in mente vacaret à gloriâ, in cujus corpore nihil vacasset à pœnâ.

Eccè enim dùm liber sibi solus fruebatur beatâ pace, natura longissimis pœnitentiæ laboribus exacerbata, septennio ante mortem, dexteram percussit gravissimo vulnere, quod renascens quotidiè, & recrudescens, novo

quo-

quodam Martyrii genere Cœlo parabat victimam. Scilicèt diffidentes inter se partes corporis, & suis divulsæ locis, mutuam sibi denegabant opem, ità ut vix intèr fratrum manus ad Ecclesiam deferretur: sed eodem semper decumbens sedili, nec necessaria quidem sibi præbete poterat adjumenta, qui ministrari sempèt timens, nihil magis habuerat in votis, quam Christo, in fratrum personâ ministrare.

Sensim ergò quotidiè moriebatur. At Regina sui mens manet integra. Qui dolores Fratrum, vel levissimos, alto sentiebat corde, idem proprios despicit, ut solet humana gens alienos. Nil de solitis pœnitentiæ laboribus remittens propter verba labiorum Dei custodivit in finem vias duras. Quàm lætus aspicit se in dies aliquâ sui parte Christo configi Cruci! Spe gaudens ad consumtionem corporis, in quo peregrinatur, quotquot habet partes, tot immolat Deo victimas.

Diuturnam quotidiani Psalterii recitationem, nec in ipsâ quidem obitûs die, quin etiam ultimo fermè instanti, non prætermisit; & velut corporis immemor, deficiente naturâ, hoc uno propemodùm pane animam recreans, sic moriebatur, ut viveret non recusaret: sic autem vivebat, ut supremum non metueret diem, & Spiritu magno vixit ultima. Tandem, ut sensit, tempus resolutionis suæ instare, quasi novos collegisset ad pietatem animos, plenâ fide, cordis effusione penè incredibili, charitas enim ejus nec unquam excidit; Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis tanquam Optimo Viatico munitus, jubente Abbate, postulantibusque fratribus, benedixit singulis benedictionibus propriis.

Quantâ Religione desiderat ipse frui benedictione,

precibus, consiliis, & conspectu, atque præsentiâ proprii Episcopi, in ultimo, maximoque vitæ discrimine! Hoc igitur solatio potitus, in patientiâ possidens animam suam, fidem, pietatem, humilitatem, pœnitentiæ amorem, perseverantiam in finem, cor proprium, fratrum animos, pacem Christi.

Quàm jucundè divinas misericordias in æternum decantandas prælibat! Quàm suavitèr Christi bonus odor in adstantium corda diffunditur! Quàm abundè Charitatem Dei spirat! Quàm sanctè Filiolis commendat dignam Johanne sententiam, ut diligant alterutrum, quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit!

Post hæc, suo tempore, quasi æternitatis impatiens, compositâ, si non manibus, saltèm voce, & oculis, cinerum cruce, huic impositus, quasi super altare Victima holocausti, quam sibi Deus providerat. Lætus erat vultus, & universis circà plorantibus, solus ipse alios solabatur. Manus extendere, videre quod alii non videbant, & quasi in occursum se erigens, salutare venientes. Intelligeres, illum non emori, sed migrare; & mutare filios, non relinquere.

Tandèm dùm ingeminat ad Deum socias preces fratrum adstans corona, divinas ipse laudes, exstinctâ licèt voce, ardentissimè exprimens, apprehensâ Episcopi manu, & reclinato in ejus sinum capite, levatisque sursùm oculis, quasi videret Cœlos apertos, exstinctus est unà cum sæculo, cujus pars fuerat longè spectatissima.

Epi-

Epitaphium R. A. in CHRISTO *Patris Domni Armandi Johannis Buttilierii Rancæi.*

QVI MVNDO NOVA LVX, ET DECVS ORDINIS,
QVI PRIMAEVA PATRVM TEMPORA SVSCITAT,
QVEM REX, QVEM POPVLVS, GALLIA QVEM STVPET
ORBIS DELICIAE DATVM.
QVI VIRTVTE SIBI VINDICAT INVIDOS,
ARDENS QVEM PIETAS EVEHIT AD DEVM,
HIC BVTTHILIERVS SVB TVMVLO IACET
PAVPER PAVPERE CONDITVS.

ERRATA			CORRIGE.
Epist. dedic.		Increbili	Incredibili
Præf.		vero	verè Præf. ocnorum oculorum
Pag. 32	Lin. 2	Avunculi	Patrui
	12	emollituntur	emolliitent
33	5	me ipsius	mei ipsius
33	9	cœperit	ceperit
38	16	cœperat	ceperat
39	23	litteris	literis
48	21	spelctaculo	spectaculo
48	23	Paatium	Palatium
96	27	*et non non*	*dele* secundum *non*
99	ult.	pollicitâ	pollicita
105	8	animur	animum
106	17	precavi	præcavi
112	6	infirmorum	Infimorum
114	1	suis	*sui*
238	18	Prezbyteri	Presbyteri
242	ult	vita	via
254	5	*Cecus*	*Cœcum*
259	18	Clarissimè	Clarissime
262	16	*Dest* & virtutum vestrarum tuba	
262	1	tantùm	tantum
276	8	Tum	Tu